Digitized by Google

Digitized by Google

4a 13540

Digitized by Google

FLL
73.034
67 - 6.
56 - 4 - 15820
Digitized by Google

LE MONNIER

CURSUS PHILOSOPHICUS.

LOGICA.

Digitized by Google

23034

Digitized by Google

R209901

CURSUS PHILOSOPHICUS

AD SCHOLARUM USUM

ACCOMMODATUS.

16
L45 C

Authore PETRO LEMONNIER, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Philoſophiæ Profeſſore Emerito, in Univerſitate Studii Pariſienſis, in Collegio Harcuriano, cum figuris.*

NOVA EDITIO.

Recognita, Figuriſque aliquot & indice emendatorio adaucta.

TOMUS PRIMUS.

23034

PARISIIS,

Apud JACOBUM ROLLIN, ſub ſigno Sancti Athanaſii, ad ripam Auguſtinianorum.

M. DCC. LIV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Digitized by Google

FREDERICO-HIERONIMO

DE ROYE

DE LA ROCHEFOUCAULD,

CARDINALI PRESBYTERO,
Tituli Sanctæ Agnetis extra muros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Patriarchæ, Archiepiſcopo Bituricenſi, Aquitaniarum Primati, Abbati, Capiti, Superiori Generali, & Adminiſtratori perpetuo Sacræ Abbatiæ & totius Ordinis Cluniacenſis, Regii Ordinis Sancti Spiritûs Commendatori, nec-non Abbati Sancti Martini Athanatenſis, *Sancti Mauritii* de Belloloco, in Argonnâ, &c.

Illud more & uſu receptum eſt,
EMINENTISSIME CARDINALIS,

Digitized by Google

ut qui ſtudiorum laborumque ſuorum monumenta, in lucem proferunt, ea Viris Clariſſimis inſcribant, quo ſuis operibus commendationem & authoritatem addant majorem, ſeque ſuaque adversùs malevolentiæ & invidiæ tela, illuſtri Patrocinio, fortiſſimo quaſi ſcuto, præmuniant: quod factitare, ſi conceſſum eſt vel illis, qui de rebus diſſerunt, ad eos nihil pertinentibus, quos ſibi Patronos advocant; quanto potiori jure, id mihi aſſumere poſſe videor, qui ea Tibi nuncupo, quibus plurimùm delectaris & excellis? Opus enim hoc meum, quod tuo precor nomine ac præſidio tegi atque ornari velis, univerſæ Philoſophiæ curriculum eſt, ubi multâ cum laude & voluptate

Digitized by Google

olim verſatus es, ubi inſitas mentis & ingenii vires tantâ alacritate exercuiſti, ut, eo ſtadio vix emenſo, ad res maximè arduas, immaturâ licet ætate, prudentiâ tamen & conſilio benè maturus acceſſeris: quod quidem ingens erit, opinor, Adoleſcentibus omnibus ad Philoſophiam incitamentum: quem enim benè cordatum juvenem pigeret, præcipuam curam & operam in iis exercitationibus collocare, quas, exemplo tuo monitus, ad naturæ adjumenta perficienda & promovenda, honoreſque adipiſcendos, non mediocriter prodeſſe intelliget?

In laudes tuas hîc excurrere geſtiret animus, niſi laudanda facere, Te, quàm laudari, malle comper-

tum haberem ; ſufficiat igitur, publico hoc ac ſolemni Monumento, palam & apertè omnibus teſtari, quantâ obſervantiâ & veneratione Tibi ſim,

EMINENTISSIME CARDINALIS,

Addictiſſimus &
obſequentiſſimus,
P. LEMONNIER.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

EX quo Philoſophiam publicè docendi, graviſſimam ſuſcepi provinciam, duo potiſſimùm vitanda mihi viſa ſunt, nempe Mathematicarum diſciplinarum neglectus, & earumdem prolixior tractatus. Enimverò ſi principia generalia Matheſeos omittantur, Phyſicæ phœnomena nec intelligi nec explicari poſſunt; unde, poſtquàm illius ſcientiæ elementa cum Phyſicâ conjungi cœperunt, plures, per unum ſæculum, detectæ fuerunt veritates Phyſicæ, quàm anteà, per duodecim ſæcula. Deinde

Digitized by Google

verò, ſi Matheſis prolixiùs tractetur; cæteræ Philoſophiæ partes negligantur, neceſſe eſt. Quemadmodum enim, ſi Aſtronomia, Mechanica, Chymia, Botanica & Anatomia, quæ, ſicut Matheſis, ſunt totidem Phyſicæ partes, eâ prolixitate traderentur, quâ hodie à nonnullis evolvuntur diſciplinæ Mathematicæ; nequidem per multos annos abſolvi poſſet curſus Philoſophicus. In eo autem præſertim invigilandum fuit, ut brevitati ſimul & perſpicuitati conſulerem.

Digitized by Google

APPROBATIO.

ILluſtriſſimi Cancellarii, ac Sigillorum Cuſtodis juſſu, *Curſum hunc Philoſophicum ad uſum Scholarum accommodatum*, legi. Lutetiæ, die ſextâ menſis Januarii, 1748.

MONTCARVILLE.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlemens, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; SALUT: Notre amé JACQUES ROLLIN, Fils, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre, *Curſus Philoſophicus ad uſum Sholarum accommodatus*, par M. le Monnier; s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege pour ce néceſſaires. A ces cauſes Voulant favorablement traiter l'expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces préſentes de faire imprimer ledit Ou-

Digitized by Google

vrage en un ou pluſieurs volumes, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de neuf années conſécutives, à compter du jour de la datte deſdites préſentes. Faiſons défenſe à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance, comme auſſi à tous Libraires, & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun extrait, ſous quelque prétexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement ou autres ſans la permiſſion expreſſe ou par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens dommages & interêts : à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans notre Royaume,

Digitized by Google

& non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément à la feuille imprimée attachée pour modéle ſous le contreſcel desdites Préſentes ; que l'impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725 ; qu'avant de l'expoſer en vente, le manuſcrit qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très cher & féal Chevalier le Sr Dagueſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres ; & qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires dans notre Bibliotéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très cher & féal Chevalier, le Sr Dagueſſeau, Chancelier de France ; le tout à peine de nullité des Préſentes : du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Expoſant & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, ſoit tenue pour dûment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés, féaux Conſeillers & Secretaires, foi ſoit ajoutée comme à l'O-

Digitized by Google

riginal. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte, Normande & Lettres à ce contraires. CAR tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris, le ſixiéme jour du mois de Décembre, l'an de grace mil ſept cent quarante-huit, & de notre Regne le trente-quatriéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

SAINSON.

Regiſtré ſur le Régiſtre XII. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 69. *fol.* 55. *conformément aux anciens Réglemens confirmés par celui du* 28 *Fevrier* 1723. *A Paris ce* 14 *Janvier* 1749.

G. CAVELIER, Syndic.

CURSUS

Digitized by Google

CURSUS PHILOSOPHICUS AD USUM SCHOLARUM ACCOMMODATUS.

PRÆFATIO.

PRIUSQUAM ſingulas Philoſophiæ partes exponamus & evolvamus, perutile mihi viſum fuit, primò explicare methodum quæ ſolet in Scholis adhiberi, dùm agitur de aliquâ materiâ ſubjectâ; ſecundò artem diſcurrendi tradere; tertiò & methodum philoſophandi, & artem diſcurrendi ad praxim revocare, tùm circà Philoſophiam univerſim, tùm circà Logicam generatim.

Digitized by Google

DE PHILOSOPHANDI METHODO.

QUINQUE quæſtiones ut-plurimùm inſtituere ſolent Philoſophi, dùm aliquâ de re diſſerunt. Prima eſt quid ſit illud de quo agitur; ſecunda, an exiſtat aut exiſtere poſſit; tertia, cur ſit; quarta, quale ſit; quinta, quotuplex ſit: verbi gratiâ, ſi Philoſophi diſſerant de beatitudine, inquirunt, quid ſit; an exiſtat aut exiſtere poſſit; cur ſit; qualis ſit, & quotuplex ſit beatitudo.

Ut has quæſtiones intelligatis, de ſingulis dicendum.

De quæſtione quid ſit.

Ad intelligentiam hujus quæſtionis quædam ſunt annotanda.

Notandum igitur primò, nomine entis ſignificari quidquid eſt poſſibile, nomine verò *poſſibilis*, id omne quod habet partes ſociabiles, ſeu quæ mutuò ſeſe non

deſtruunt; ſic *figura rotunda* eſt ens, quia figura & rotunditas ſimul ſociari poſſunt, id eſt, totum aliquod componere poſſunt. Ex oppoſito, *quadratum rotundum* non eſt ens, ſed impoſſibile quoddam; quia quadratura & rotunditas non poſſunt idem totum componere; exinde ſequitur ens quodlibet eſſe totum quoddam, ſi quidem coaleſcit ex partibus ſociabilibus.

Notandum 2°. ex partibus totum quoddam, ſeu quodvis ens componentibus, alias vocari *communes*; alias autem *proprias*: partes illæ dicuntur communes, quæ pertinent ad tota diverſa; ſic *figura* vocatur pars communis, quia pertinet ad circulum, triangulum, quadratum, &c.

Partes propriæ ſunt illæ, quæ vel uni tantùm enti, verbi gratiâ, ſoli Deo, vel multis quidem entibus, ſed ſimilibus, verbi gratiâ, multis circulis, conveniunt.

Notandum 3°. ex partibus ejuſdem totius, ſive communibus, ſive propriis, alias vocari *eſſentiales*, alias verò *contingentes*.

Partes eſſentiales vocantur illæ, ſine quibus totum nec exiſtere, nec concipi poteſt: ſic corpus & anima ſunt partes eſſentiales hominis; quia homo nec exiſtere, nec concipi poteſt ſine corpore & animâ: partes contingentes dicuntur illæ, ſine qui-

bus totum & exiſtere, & concipi poteſt: ſic ſcientia & virtus ſunt partes contingentes hominis, quia homo & exiſtere & concipi poteſt ſine ſcientiâ & virtute.

Notandum denique quodlibet ens, ſeu totum eſſe vel ſubſtantiam vel modificationem.

Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, ſeu non requirens aliud cui inſit vel inhæreat: ſic *Deus*, *homo*, *lapis*, &c. ſunt ſubſtantiæ, quia per ſe ſubſiſtunt, ſeu non inhærent aliis entibus. Modificatio eſt ens inhærens alteri; ſic *ſcientia*, *virtus*, *rotunditas*, &c. ſunt modificationes, quia inhærent aliis entibus.

His notatis, per quæſtionem *quid ſit ens*, inquiritur ejus eſſentia ſeu natura: eſſentia autem ſeu natura eſt complexio generis & differentiæ.

Genus eſt pars eſſentialis & communis.

Differentia verò eſt pars eſſentialis & propria: ſic *figura* eſt genus circuli, & *rotunditas* eſt ejus differentia. Quando igitur quæritur quid ſit aliquod ens, duæ partes eſſentiales afferendæ ſunt in reſponſione, ita ut una ſit communis, quæ dicitur genus, & altera propria quæ vocatur differentia: indicabitur autem in Logicâ quænam ex partibus *eſſentialibus* & *communibus*; quænam verò ex *eſſentialibus* & *pro-*

Digitized by Google

prius ſint èligendæ, ut aptè reſpondeatur quæſtionibus *quid ſint entia*.

Reſponſio facta quæſtioni quid ſit ens, vocatur *definitio*. Definitio autem eſt oratio quidpiam explicans; & duplex eſt nominis & entis.

Definitio nominis eſt oratio, per quam explicatur quænam ſit ſignficatio vocis alicujus, aut equivocæ, aut inſolitæ, aut ſcientiæ cuidam propriæ.

Definitio entis eſt oratio naturam ejus explicans per partes ejus eſſentiales: & rursùs duplex eſt, propriè dicta & impropriè dicta. Propriè dicta dicitur, quando natura entis explicatur per genus & differentiam ipſius; impropriè dicta verò, quæ vocatur aliter *deſcriptio*, eſt oratio naturam entis explicans per multas partes, quæ ſecernunt ens illud, ab alio quovis.

Subſtantia quævis definiri debet definitione propriè dictâ; at modificatio definiri tantum poteſt definitione impropriè dictâ, quia ignoramus genuinas modificationum differentias, quarum loco aſſumuntur ordines quidam eſſentiales, quas dicunt aut ad ſua ſubjecta, aut ad ſua objecta. Quoniam verò hæ voces *ſubjectum* & *objectum* frequenter uſurpantur à Philoſophis; ideò juvat eas hîc explicare.

Digitized by Google

De ſubjecto.

Subjectum generatim eſt quidquid recipit modificationem : & triplex eſt *quod*, *quo* & *denominationis.*

Subjectum *quod* eſt ſubſtantia prout recipiens modificationem ; ſic Deus eſt ſubjectum *quod* omnipotentiæ, quia Deus eſt ſubſtantia recipiens omnipotentiam, quæ eſt modificatio.

Subjectum *quo* eſt una modificatio prout aliam modificationem recipiens : ſic *actio* vocatur ſubjectum *quo* bonitatis, quando recipit bonitatem, quæ eſt alia modificatio.

Subjectum *denominationis* eſt vel ſubſtantia, vel modificatio, quatenùs denominatur à modificationibus receptis ; ſic Deus eſt ſubjectum denominationis omnipotentiæ, quatenùs ab ipſâ denominatur omnipotens ; ſic pariter *actio* eſt ſubjectum denominationis bonitatis, quatenùs ab ipſâ denominatur.

Aliud à veteribus Philoſophis admittebatur ſubjectum, quod vocabant *informationis*, quandò nimirùm una ſubſtantia recipiebat aliam ſubſtantiam à quâ denominabatur : ſic inquiebant, corpus humanum eſt ſubjectum informationis animæ, quia corpus humanum recipit animam, quæ eſt

Digitized by Google

alia ſubſtantia, à quâ denominatur animatum. Non admittimus hujus modi ſubjectum: quemadmodum enim anima non dicitur recipere corpus; ſic corpus dici non debet recipere animam.

De objecto.

Objectum eſt id omne quod objicitur alicui facultati ſeu potentiæ, habitui & actui, hoc eſt id omne circà quod verſari poſſunt facultates, habitus & actus; ſic *Deus amandus*, vocatur objectum, quia objicitur potentiæ amandi, habitui, & actui amandi.

Facultas ſeu potentia eſt capacitas ad aliquid; & duplex eſt, activa & paſſiva.

Potentia activa eſt capacitas aliquid producendi, ut capacitas producendi actum amoris.

Potentia paſſiva eſt capacitas modificationem aliquam recipiendi, ut potentia recipiendi ſenſationem doloris.

Habitus eſt facilitas aliquid producendi, ut facilitas ratiocinandi.

Actus eſt exercitium potentiæ activæ: ſic exercitium ratiocinandi vocatur *actus*.

Objectum igitur alicujus ſcientiæ eſt id quod objicitur conſiderandum in hac ſcientia, & triplex eſt, materiale, formale & adæquatum ſeu totale.

Digitized by Google

Objectum materiale ſcientiæ eſt id omne quod propter ſe conſideratur in ſcientiâ: ſic *corpus humanum* eſt objectum materiale artis Medicæ, quia propter ſe conſideratur in hac arte. Dixi autem *propter ſe*, quia ſi propter aliud conſideraretur, jam non eſſet de objecto materiali ſcientiæ; hinc *metalla*, *plantæ*, &c. non ſunt de objecto materiali artis Medicæ; conſiderantur enim propter corpus humanum ſanandum.

Objectum formale ſcientiæ eſt modus ſpecialis & proprius ſub quo objectum materiale conſideratur in ſcientiâ: ſic *ſanabilitas* eſt objectum formale artis Medicæ, quia eſt modus ſpecialis ſub quo corpus humanum conſideratur in illâ ſcientiâ.

Objectum adæquatum ſeu totale ſcientiæ, eſt complexio objecti materialis & objecti formalis: ſic *corpus humanum quatenùs ſanabile*, eſt objectum adæquatum artis Medicæ.

Obſervandum porrò vocem hanc, *materiale*, apud Philoſophos idem ſignificare ac *commune*; hanc verò, *formale*, idem ſignificare ac *proprium*.

De quæſtione an ſit.

Senſus hujus quæſtionis eſt, an ens de quo agitur exiſtat, ſeu poſitum ſit extrà nihil, id eſt, extrà ſtatum meræ poſſibili-

Digitized by Google

tatis. Vox autem iſta *nihil*, æquivocatione laborat; ſumitur enim quandoque pro impoſſibili, ut cum dicitur circulus quadratus eſt *nihil*; ſumitur etiam pro merè poſſibili, ut ubi dicitur: mundus ante decem annorum millia *nihil* erat.

De quæſtione cur ſit.

In hac quæſtione examinantur entis principia.

Principium generatim eſt id unde aliquid; & triplex eſt, cognitionis, productionis & compoſitionis.

De principiis cognitionis.

Principia cognitionis ſunt ea omnia quæ nos ducunt in cognitionem aliquorum entium, & duplicis ſunt generis, ſimplicia & complexa.

De ſimplicibus.

Principia cognitionis ſimplicia ſunt entia quædam, quæ cognita nos ducunt in notitiam aliorum entium: ſic fumus quem è camino videmus erumpentem, eſt principium cognitionis ſimplex, quod nos ducit in notitiam ignis, vocatur aliter *ſignum*.

Signum univerſim eſt, quidquid ex impreſſione ſui, excitat in nobis impreſſionem

alterius ; & triplex eſt, arbitrarium, naturale & eſſentiale.

Signum arbitrarium dicitur illud cujus ſignificatio pendet à libero hominum inſtituto : ſic voces omnium idiomatum ſunt ſigna arbitraria, quia vocum illarum ſignificatio fuit dependens à libero hominum inſtituto.

Signum naturale dicitur illud cujus ſignificatio ſic pendet à liberâ Dei voluntate, ut nullatenùs pendeat à libertate creatâ : ſic fumus è camino erumpens eſt ſignum naturale ignis ; quia ſolus Deus liberè inſtituit ut fumus ſic erumpens è camino ſignificaret ignem.

Signum eſſentiale vocatur illud cujus ſignificatio neceſſaria eſt, & independens à libertate quâvis : ſic amor cognitus, eſſentialiter ſignificat ſubſtantiam ſpiritualem.

De complexis.

Principia cognitionis complexa, ſunt propoſitiones quædam, quæ poſtquam nobis innotuerunt, nos poſteà ducunt in aliarum propoſitionum notitiam.

Principium cognitionis complexum duplex eſt, probans & movens.

Principium cognitionis probans, eſt propoſitio generalis, quæ nos ducit in cognitionem aliarum minùs generalium in ipſâ

contentarum : ſic hæc propoſitio, *omne totum majus eſt ſuâ parte*, eſt principium cognitionis probans, quia nos ducit in notitiam harum, verbi gratiâ, propoſitionum minùs generalium .... corpus humanum majus eſt ſolo ipſius capite ... arbor major eſt unico ipſius ramo. Quomodo autem una propoſitio minùs generalis contineatur in aliâ generaliori, exponetur poſteà.

Principium cognitionis movens, eſt propoſitio quæ exprimit motivum quo impellimur ad aſſentiendum aliis propoſitionibus : ſic hæc propoſitio ... *Quidquid fuit à Deo revelatum eſt certiſſimum*, dici poteſt principium movens, quia exprimit motivum quo impellimur ad aſſentiendum his propoſitionibus ... Tres ſunt Perſonæ in Naturâ divinâ .... Verbum caro factum eſt, &c.

De principiis productionis.

Principium productionis eſt id omne quod confert ad tribuendam exiſtentiam effectui, & vocatur uno nomine *cauſa*, quæ duplex eſt, Phyſica & Moralis.

Cauſa phyſica (quæ ſola cauſæ nomen meretur) eſt illud agens quod exiſtentiam dat effectui ; ſic Deus eſt cauſa phyſica noſtrarum animarum, quia Deus dedit

exiſtentiam noſtris animabus.

Cauſa moralis, eſt id omne quod vel allicit, vel dirigit cauſam phyſicam, dum exiſtentiam tribuit effectui; hinc duplex vulgò diſtinguitur, finalis quæ allicit, & exemplaris quæ dirigit.

Effectus eſt illud ens, quod exiſtentiam recipit à cauſâ phyſicâ.

De Principiis compoſitionis

Principia compoſitionis ſunt partes quælibet totum componentes: hinc totuplex eſt principium compoſitionis diverſum, quotuplex eſt totum diverſum: porrò duplex eſt univerſim totum diverſum, phyſicum ſcilicet & metaphyſicum.

Totum phyſicum dicitur illud quod coaleſcit ex partibus, quarum aliæ ſunt totidem ſubſtantiæ, aliæ verò ſunt totidem modificationes. Hinc partes phyſicæ ſunt illæ quæ ſunt vel totidem ſubſtantiæ, vel totidem modificationes, ſed quarum quædam (nempè propriæ) præſupponunt partes ſubſtantiales.

Totum metaphyſicum vocatur illud quod coaleſcit ex partibus quæ ſunt ſolummodò modificationes, ita ut quædam ex his (nempè propriæ) ſint inſociabiles cum partibus quæ ſint ſubſtantiæ; hinc partes metaphyſicæ ſunt modificationes

quarum quædam excludunt partes ſubſtantiales.

De quæſtione quale ſit.

In hac quæſtione inquiruntur entis proprietates. Proprietates autem ſunt partes eſſentiales & propriæ quæ fluunt, ſeu ſequuntur ex entis differentiâ : ſic *æternitas* eſt Dei proprietas, quia eſt pars eſſentialis & propria Dei, quæ ſequitur ex differentiâ Dei, ſeu ex *neceſſitate exiſtendi.*

Ex proprietatibus aliæ vocantur *primariæ*, aliæ verò *ſecundariæ.*

Primariæ ſunt illæ, quæ fluunt immediatè ex differentiâ : ſic *bonitas* eſt primaria Dei proprietas, quia ſequitur immediatè ex neceſſitate exiſtendi.

Secundariæ dicuntur illæ, quæ mediatè, ſeu mediante aliâ proprietate, fluunt ex differentiâ : ſic amabilitas eſt proprietas ſecundaria Dei, quia mediante bonitate fluit ab exiſtendi neceſſitate.

Tres numerantur primariæ cujuſlibet entis proprietates ; ſcilicet unitas, veritas & bonitas.

Unitas entis eſt modificatio ſeu forma, per quam totum conſtituitur in ratione totius, ceu eſt ipſa *totalitas.*

Veritas entis eſt connexio partium ipſum componentium.

Bonitas entis eſt complexio omnium ejus partium eſſentialium.

De quæſtione quotuplex ſit.

In hâc quæſtione quæritur quomodo diſtribuendum ſit illud de quo agitur, hoc eſt, quibuſnam entibus, tum diverſis, tum ſimilibus conveniat.

Hujus diſtributionis exemplum deſumo ab ipſo ente generatim ſumpto, quod ſic diſtribui poteſt.

Ens convenit ſubſtantiæ & modificationi; dici namque poteſt, ſubſtantia eſt ens, modificatio eſt ens.

Subſtantia diſtribuitur in ſpiritualem & corpoream, ſeu convenit ſpiritui & corpori.

Spiritus autem eſt ſubſtantia capax agendi, & excludens à ſe partes ſubſtantiales; corpus verò eſt ſubſtantia merè iners, & paſſiva, quæ neceſſariò habet partes ſubſtantiales.

Spiritus convenit Deo, Angelis & animæ rationali, ita ut Deus, Angeli & anima rationalis non poſſint ulteriùs ſubdiſtribui, quia non conveniunt totis diverſis. Corpus non poteſt pariter ulteriùs ſubdiſtribui, quia nulla ſunt corpora eſſentialiter à ſe invicem diſcrepantia.

Modificatio ſubdiſtribuitur in ſpiritua-

Digitized by Google

lem & corpoream, & utraque in communem & propriam, in eſſentialem & contingentem.

DE ARTE RATIOCINANDI.

ANtequàm diſcurrendi artem tradamus, ſciendum eſt 1°. duas eſſe generales agendi potentias in animâ noſtrâ, intellectum ſcilicet & voluntatem.

Intellectus eſt facultas ſeu potentia animæ verſantis circà objecta ut vera; voluntas autem, eſt facultas animæ verſantis circà objecta ut bona.

Sciendum eſt 2°. quatuor vulgò numerari diverſas operationes intellectûs, ſcilicet apprehenſionem, judicium, diſcurſum & methodum.

Apprehenſio eſt actus quo intellectus attendit ad varia objecta, ut ſi attendamus ad Deum, animas, corpora, &c.

Judicium eſt actus intellectûs dicentis habitudinem attributi ad ſubjectum: oratio autem quæ hunc actum ſignificat, vocatur propoſitio.

In omni propoſitione quatuor ſunt diſtinguenda, ſubjectum, attributum, verbum & habitudo.

Subjectum propoſitionis eſt illud ens de quo intellectus aliquid dicit; ſic in hâc

propoſitione, *Deus eſt omnipotens*, Deus eſt ſubjectum, quia eſt id de quo aliquid dicitur.

Attributum, vel alio nomine *prædicatum*, eſt illud quod enunciatur vel cum ſubjecto conjunctum, vel ab ipſo ſeparatum: ſic in allatâ propoſitione, *omnipotens* eſt attributum aut prædicatum propoſitionis.

Verbum eſt vocula ſignificans actum intellectûs dicentis: talis eſt in allatâ propoſitione vocula *eſt*.

Habitudo eſt relatio, ſeu ordo prædicati ad ſubjectum, & duplex eſt, conjunctio & ſeparatio; hinc duplex tantùm eſt propoſitio, affirmans quæ conjunctionem enuntiat, & negans quæ ſeparationem ſignificat.

Diſcurſus eſt actus quo intellectus unum judicium ex alio, vel ex aliis infert ſeu deducit.

Methodus eſt actus quo intellectus multas apprehenſiones, multa judicia, multoſque diſcurſus ità diſponit & ordinat, ut, aut veritates à ſe delectas aliis manifeſtet, aut veritatem aliquam ſibi ignotam detegat.

Sciendum eſt denique hîc agi duntaxat de diſcurſu, quia ars ratiocinandi eſt modus ritè diſcurrendi. Sit itaque

De diſcurſu.

Diſcurſus, ut modò dictum fuit, eſt actus intellectûs quo unum judicium, vel ex alio, vel ex aliis deducitur; vocatur aliter *illatio*, *ratiocinatio*, *argumentatio*.

In omni diſcurſu tria ſunt diſtinguenda, antecedens, conſequens & conſequentia.

Antecedens eſt ea propoſitio ex quâ deducitur altera: quòd ſi ex duabus propoſitionibus inferatur tertia, tunc duæ priores vocantur *præmiſſæ*.

Conſequens eſt propoſitio deducta, vel ex antecedente, vel ex præmiſſis: vocatur aliter *concluſio*.

Conſequentia eſt connexio conſequentis cum antecedente, vel cum præmiſſis: deſignari ſolet per has aut ſimiles voces, *ergo*, *quamobrem*, *itaque*, &c.

Sit in exemplum hæc argumentatio:

Deus juſtus:

Ergo Deus remunerabit virtutem.

Prima propoſitio vocatur *antecedens*, altera verò *conſequens*, & connexio quæ reperitur remunerationem virtutis inter & juſtitiam, vocatur *conſequentia*.

Multæ numerantur argumentationis ſpecies, ſed quoniam eatenùs tantùm ſunt efficaces, quatenùs ad ſillogiſmum revocari

poſſunt; ideò de ſolo ſillogiſmo, tanquam de perfectiſſimâ diſcurſûs ſpecie hîc agemus.

De ſillogiſmo.

Sillogiſmus duplex diſtingui poteſt; ſimplex & compoſitus.

De ſimplici.

In ſillogiſmo quovis ſimplici duo ſunt conſideranda, materia nimirùm & forma.

Materia ſillogiſmi eſt id ex quo componitur ſillogiſmus, & duplex eſt, remota & proxima. Remota nihil aliud eſt, præter terminos ſeu voces, ex quibus coaleſcunt ſingulæ propoſitiones; proxima verò nihil aliud eſt, præter tres propoſitiones ſillogiſmum componentes.

Tres tantùm termini reperiri debent in ſillogiſmo quovis ſimplici, & vocantur *majus extremum*, *minus extremum* & *medium*, ſeu *terminus medius*. Hoc autem modo ſecernuntur à ſe invicem ... majus extremum ſemper eſt prædicatum concluſionis ... minus extremum ſemper eſt ſubjectum concluſionis, & terminus medius eſt ille qui nunquam ingreditur concluſionem.

Ideò autem tres ſunt tantùm termini in ſillogiſmo ſimplici, quamvis tres ſint propo-

ſitiones, & unaquæque duos contineat: quia quiſque terminus bis repetitur, ſicut intelligetur ex mox dicendis.

Tres tantùm ſunt propoſitiones in ſillogiſmo ſimplici, ſcilicet *major*, *minor* & *conſequens* ſeu *concluſio*. Propoſitio major eſt ea, quæ continet majus extremum cum medio. Propoſitio minor eſt ea, quæ continet minus extremum cum medio. Conſequens ſeu concluſio, eſt propoſitio quæ erat dubia, & proindè probanda.

Forma ſillogiſmi eſt artificioſa materiæ diſpoſitio apta ad concludendum; & duplex eſt, figura & modus. Figura ſillogiſmi eſt artificioſa terminorum diſpoſitio apta ad concludendum.

Modus verò eſt artificioſa propoſitionum diſpoſitio, pariter apta ad concludendum.

Variæ leges traduntur à Philoſophis ut legitimi conficiantur ſillogiſmi: quia verò nimis intricatæ, nec ſatis generales mihi viſæ fuerunt, imò parùm utiles in praxi; idcircò earum loco quaſdam alias breviores & generaliores trademus; in Logicâ tamen vulgares Philoſophorum regulas exponemus & perpendemus.

Leges argumentationis.

Ut intelligantur hæ leges, quatuor ſunt prænotanda.

Digitized by Google

Notandum igitur 1°. mentem humanam tunc tantùm indigere diſcurſu, quando ex intuitu idæarum ſubjecti & prædicati propoſitionis alicujus, non deprehendit qualis ſit inter has idæas habitudo, hoc eſt, quando ignorat an hæ idææ ſint inter ſe conjunctæ, an autem à ſe invicem ſeparatæ. Hoc autem in caſu mens convertit ſe ad idæam tertiam notiorem, cujus ope detegere valeat habitudinem illam ignotam.

Notandum 2°. habitudinem illam detegi non poſſe ope tertiæ idææ, niſi duæ idææ in quæſtione poſitæ conferantur alternatim cum idæâ tertiâ notiore. Atque hinc eſt quod in ſillogiſmo quovis ſimplici adhibeantur duæ præmiſſæ, in quarum unâ, majus extremum comparatur cum medio, & ideò vocatur *major*; in alterâ verò, minus extremum comparatur cum eodem medio, & ideò vocatur *minor*.

Notandum 3°. tres caſus contingere poſſe, dum inſtituitur comparatio extremorum cum eodem medio: vel enim mens noſtra deprehendit unum quodque extremum eſſe cum medio conjunctum; vel unum eſſe cum medio conjunctum, & alterum ab ipſo ſeparatum; vel tandem utrumque extremum eſſe ſeparatum à medio.

Digitized by Google

Notandum denique tertiam idæam ſæpe non ſufficere ad detegendam habitudinem duarum idæarum in quæſtione poſitarum; ex eo nempe quod dum extrema comparantur cum medio, ignoretur plerumque eorum habitudo cum hoc medio; unde ut detegatur habitudo vel majoris extremi cum medio, vel minoris extremi cum eodem medio, aſſumendæ ſunt aliæ idææ notiores, ſeu alia media; & ſic conſequenter donec affulgeat evidentia. Atque hinc eſt quod in probationibus philoſophicis, quoties vel propoſitio major, vel propoſitio minor alicujus ſillogiſmi, non ſatis eſt evidens, afferatur ejus probatio, antequam fiat tranſitus ad concluſionem.

His notatis, regulæ ſequentes memoriæ tenaciter mandentur.

Prima Regula.

Propoſitio dubia ſeu probanda menti ſit ſemper præſens, ſive dum ipſam probare tentas, ſive dum ab aliis impugnatam propugnas.

Secunda Regula.

Quoties duo extrema concluſionis deprehenduntur cum eodem medio conjuncta, toties concludendum eſt affirmati-

Digitized by Google

vè; dicendo nimirùm hæc extrema eſſe inter ſe conjuncta. Ratio eſt quia duo entia non poſſunt eſſe cum eodem tertio conjuncta, quin ſint inter ſe conjuncta.

Tertia Regula.

Quoties unum concluſionis extremum deprehenditur cum medio conjunctum, & alterum ab eodem medio ſeparatum; toties concludeudum erit negativè, dicendo, hæc extrema eſſe à ſe invicem ſeparata. Ratio eſt, quia quando ex duobus unum eſt cum tertio conjunctum, & alterum ab eodem tertio ſeparatum; neceſſariò ſunt à ſe invicem ſeparata.

Quarta Regula.

Quoties duo concluſionis extrema deprehenduntur ab eodem medio ſeparata; toties nihil ritè concludi poterit. Ratio eſt, quia ex eo quod duo entia ſint ab eodem tertio ſeparata; nec neceſſariò ſequitur quod ſint à ſe invicem ſeparata, quia poſſunt eſſe inter ſe conjuncta; nec etiam neceſſariò ſequitur quod ſint inter ſe conjuncta, quia poſſunt à ſe invicem eſſe ſeparata.

Corollarium.

Ex dictis ſequitur inter diſputandum &

Digitized by Google

reſpondendum, ad duo tantùm eſſe attendendum, ſcilicet ad propoſitionem in quæſtione poſitam, & ad caſum qui occurrit, dum concluſionis extrema cum eodem medio comparantur; dico autem *cum eodem medio*, quia terminus medius debet eſſe omninò idem in majore & in minore, non tantùm quoad vocem, ſed etiam quantùm ad ſenſum ſeu ſignificationem.

Ex regulis & principiis ſuperiùs expoſitis facilè deducentur in Logica rationes legum omnium, tum generalium, tum ſpecialium, quæ proponi ſolent à Philoſophis circà ſillogiſmum.

Quæres autem, undenam deſumenda ſint media, ſeu idææ notiores, cùm quibus comparari poſſint duo propoſitionis dubiæ extrema.

Reſpondeo media illa deſumenda eſſe, quantùm id fieri poteſt, ex definitione vel majoris extremi, vel minoris extremi; ita ut ſi definitio majoris extremi aſſumatur pro medio, ſillogiſmus ſemper incipiat à majori propoſitione; ſi verò definitio minoris extremi ſumatur pro medio, ſillogiſmus ſemper incipiat à minori propoſitione.

De Sillogiſmo compoſito.

Sillogiſmus dicitur compoſitus, quando

una ex ejus præmiſſis eſt compoſita, id eſt, quando coaleſcit ex duabus propoſitionibus: ideò autem non nunquam adhibetur ſillogiſmus compoſitus quia ope definitionis, ſive majoris extremi, ſive minoris extremi, detegi non potuit habitudo prædicati ad ſubjectum propoſitionis dubiæ; unde recurrere cogimur ad propoſitionem integram, tanquàm ad aliquod medium. Ut autem propoſitio per modum medii poſſit inſervire ad detegendam habitudinem ignotam, debet habere connexionem neceſſariam cum propoſitione dubiâ, ſeu in quæſtione poſitâ: quo in caſu propoſitio major ſillogiſmi conficiendi coaleſcere debet, & ex propoſitione quæ eſt medium, & ex totâ concluſione; minor verò propoſitio, erit ſola propoſitio quæ fuit aſſumpta pro medio: verbi gratiâ, ſi probare vellem hanc propoſitionem, *Divitiæ ſunt periculoſæ*, ſic conficerem ſillogiſmum compoſitum:

Si divitiæ plerùmque nos avertant à ſummo bono, ſunt periculoſæ:
Atqui divitiæ plerùmque nos avertunt à ſummo bono;
Ergo divitiæ ſunt periculoſæ.

In Logicâ fuſiùs agemus de ſillogiſmis compoſitis. Author operis inſcripti, *L'art de*

de penſer; hanc generalem proponit regulam circà diſcurſum: *Una præmiſſa enuntiet concluſionem in alterâ præmiſsâ contineri.* Ejuſmodi regula certiſſima quidem eſt, ſed non ſatis explicat naturam diſcursûs.

CONCERTATIONES

circà Philoſophiam univerſim.

Quid ſit Philoſophia.

IN hâc quæſtione præcipuas Philoſophiæ definitiones referemus, eaſque vel refellemus, vel emendabimus.

Philoſophia, quæ juxtà ethimologiam eſt amor ſapientiæ, definitur à Platonicis... Scientia rerum divinarum & humanarum, cauſarumque quibus hæ res continentur. Per *res divinas* intelligunt Deum, attributa, ſeu perfectiones Dei, & ea Dei opera, quæ fuerunt ab ipſo ſolo producta; per *res humanas*, intelligunt actiones intellectûs, & voluntatis hominum; hinc juxtà ipſos Metaphyſica, Matheſis, & Phyſica verſantur circà res divinas; Logica verò, & Moralis occupantur circà res humanas.

Digitized by Google

Philoſophia definitur à Peripatheticis, ſeu à Sectatoribus Ariſtotelis. . . . Cognitio vera, certa, & evidens rerum naturalium per cauſas. Ut intelligatur hæc definitio, ſequentes alias ſubjicio.

Cognitio, eſt quilibet actus intellectûs, ſeu facultatis animæ verſantis circà objecta ut vera.

Cognitio vera dicitur ea, quæ attingit objectum ut in ſe eſt: ſic ubi dicitur, Deus eſt omnipotens, hæc cognitio vera eſt, quia Deum attingit, ut in ſe eſt.

Ex oppoſito cognitio dicitur falſa, quæ attingit objectum aliter ac in ſe eſt. Verbi gratiâ. Si quis diceret, Deus eſt crudelis; ejus cognitio foret falſa, quia Deus reipsâ non eſt crudelis.

Cognitio certa dici debet ea, quæ nititur motivo firmo & inconcuſſo: ſic ubi dico, *Verbum caro factum eſt*; mea cognitio certa eſt, quatenùs nititur authoritate Dei revelantis. Ex oppoſito cognitio dicitur incerta, quæ nititur motivo caduco & fallibili: ſic ubi dico, *Petrus cras morietur*; mea cognitio eſt incerta, quatenùs nititur authoritate Medici mortem illam prænuntiantis.

Cognitio evidens eſt ea, quæ nititur idæarum noſtrarum intuitu: ſic ubi dico, *totum majus eſt ſuâ parte*; mea cognitio eſt

Digitized by Google

evidens, quatenùs nititur intuitu idæarum totius & partis. Ex oppoſito cognitio dicitur, *inevidens*, quæ nititur alio quovis motivo, quàm idæarum noſtrarum intuitu.

Res naturales ſunt ea omnia, quæ ſine revelatione divinâ poſſunt à nobis cognoſci. Ex oppoſito res ſupernaturales ſunt ea omnia, quæ per revelationem divinam nobis innoteſcunt.

Cognoſcere per cauſas, inquiunt, eſt reddere rationem ſuarum cognitionum: ſic ille dicitur ecclypſim lunæ per cauſas cognoſcere, qui reddere poteſt rationem cur luna patiatur ecclypſim.

His præmiſſis, ſic ratiocinantur Peripathetici. 1°. Philoſophia eſt cognitio, quia eſt actus intellectûs. 2°. Eſt cognitio vera, quia attingit entia, ut in ſe ſunt: unde differt ab errore, qui eſt cognitio falſa. 3°. Eſt cognitio certa, quia nititur motivo firmo & inconcuſſo, ſcilicet evidentiâ, ſeu idæarum intuitu; unde differt à cognitionibus quæ nituntur motivis caducis & fallibilibus. 4°. Dicitur cognitio evidens, quia nititur idæarum intuitu; unde differt à fide divinâ, quæ eſt quidem cognitio certiſſima, ſed inevidens. 5°. Eſt cognitio entium naturalium, quia eſt cognitio eorum quæ ſine revelatione divinâ

poſſunt ab hominibus cognoſci ; unde differt à Theologiâ quæ, ſaltem ex parte, eſt cognitio ſupernaturalium. 6°. Denique eſt cognitio per cauſas, quia Philoſophus reddere poteſt rationem ſuarum cognitionum ; unde differt à cognitione merè experimentali, qualis eſt in ruſticis, qui non poſſunt reddere rationem ſuarum cognitionum.

Ut quæſtionem propoſitam ſolvamus, notandum eſt Philoſophiam accipi poſſe, vel prout eſt actus ſeu exercitium, vel prout eſt habitus ſeu facilitas. Tunc accipitur pro actu, quando ſumitur pro philoſophandi exercitio, qualis eſt in Philoſopho vel diſputante, vel reſpondente ; tunc autem accipitur pro habitu, quando ſumitur pro facilitate philoſophandi, qualis eſt in Philoſopho dormiente. Hoc notato,

Prima Concluſio.

Definitio Philoſophiæ, Platonica dicta, non eſt legitima. Illa namque definitio legitima non eſt, quæ non convenit definito : atqui definitio, Platonica dicta, non convenit definito. Definitio enim quæ non convenit habitui diſcurſivo, non convenit Philoſophiæ ; Philoſophia namque eſt habitus diſcurſivus, ſeu facilitas

Digitized by Google

procedendi à magis noto ad minùs notum. Atqui definitio Platonica non convenit habitui diſcurſivo. Illa namque definitio non convenit, &c. quæ convenit ſcientiæ divinæ; nec enim ſcientia Dei dici poteſt diſcurſiva: atqui definitio Platonica convenit ſcientiæ divinæ; ſcientia quippe Dei, eſt cognitio rerum divinarum & humanarum, cauſarumque quibus hæ res continentur: ergo definitio Platonica non convenit habitui diſcurſivo: ergo non convenit Philoſophiæ: ergo non eſt legitima.

In eo igitur potiſſimùm peccat definitio Platonica, quòd Philoſophia dicatur ſcientia cauſarum, cùm dicenda ſit ſcientia per cauſas, aut potiùs per principia: nimirùm aliud eſt entia, eorumque principia cognoſcere; aliud verò, entia cognoſcere per principia; ſi quidem entia eorumque principia cognoſcere, eſt iſta omnia ſimul & ſimili modo cognoſcere; at *entia* cognoſcere per principia, eſt primùm cognoſcere principia; deindè eſt horum ope, devenire in notitiam entium.

Definitio Platonica poteſt adhuc aliter oſtendi vitioſa, hoc modo... Illa definitio Philoſophiæ legitima non eſt, quæ non convenit ſingulis Philoſophiæ partibus; definitio enim alicujus univerſalis legiti-

ma non eſt, quando non convenit ſingulis ejus inferioribus: atqui definitio Platonica non convenit ſingulis Philoſophiæ partibus, ſicut fatentur ejus propugnatores; ergo non eſt legitima.

Concluſio ſecunda.

Philoſophia actualis definiri debet cognitio evidens entium naturalium, per principia... Philoſophia namque actualis definiri debet eâ definitione, quæ complectatur ejus genus & differentiam: atqui definitio mox allata, complectitur genus & differentiam Philoſophiæ actualis. Ubi namque dicitur *cognitio evidens*, adeſt ejus genus; dum autem additur *entium naturalium per principia*, adeſt ejus differentia, ergo definitio mox allata legitima eſt.

Objectiones.

Objicies. 1°. Illa definitio non eſt legitima, quæ continet vocem æquivocam: atqui noſtra definitio, &c. hanc nempè *cognitio*: cognitionis enim nomine quidam intelligunt idæam, alii verò intelligunt judicium; ergo noſtra definitio non eſt legitima.

Reſpondeo. Diſtinguo majorem propoſitionem. Illa definitio non eſt legitima, quæ continet vocem æquivocam anteà mi-

Digitized by Google

nimè determinatam & explicatam, concedo. Anteà determinatam & explicatam, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ illa definitio non eſt legitima, quæ continet vocem æquivocam indeterminatam, & minimè explicatam, quia tunc obſcura eſt ejuſmodi definitio: at legitima eſt definitio, quæ continet vocem æquivocam anteà determinatam & explicatam, quia tunc ſublata fuit obſcuritas: porrò vox iſta *cognitio* laborat quidem æquivocatione apud Philoſophos; ſed à nobis determinata fuit ad ſignificandum quemlibet actum intellectûs; quamobrem ex hâc parte non peccat noſtra definitio.

Objicies. 2°. Cognitiones noſtræ circà Deum philoſophicæ ſunt; nec tamen dici poſſunt *per principia*: ergo non omnis cognitio philoſophica dici poteſt, per principia.

Diſtinguo ſecundam antecedentis partem: nec tamen dici poſſunt per principia productionis, ſeu per cauſas, concedo. Per principia ſive cognitionis, ſive compoſitionis, nego; & nego conſequentiam. Reverâ non cognoſcimus philoſophicè Deum per principia productionis, ſeu per cauſas: quia Deus nullas habere poteſt cauſas; ſed Deum philoſophicè cognoſcere poſſu-

Digitized by Google

mus, tum per principia cognitionis, quia multa nos ducunt in cognitionem Dei; tum per principia compoſitionis, quia cognoſcuntur quædam attributa, quæ probantur ſoli Deo convenire poſſe; qualia ſunt *immenſitas*, *duratio neceſſaria*, *potentia movendi*, &c.

Objicies denique. Cognitio evidens eſt ſolummodò de entibus natuaralibus; ergo hæ voces, *entium naturalium*, ſunt inutiles in noſtrâ definitione.

Nego conſequentiam. Quamvis enim cognitio evidens attingat tantùm entia naturalia; quoniam tamen in definitione ſcientiæ, fieri debet mentio objecti materialis hujus ſcientiæ; ideò voces allatæ non ſunt inutiles in noſtrâ definitione.

Corollaria.

Primò. Hæ voces, *vera*, *certa*, quæ apponuntur in definitione vulgari, ſunt inutiles: quia ex eo quòd cognitio quædam ſit evidens, utique vera, & certa. 2°. Loco harum vocum, *per cauſas*, apponendæ ſunt iſtæ, *per principia*, quia nulla entia philoſophicè cognoſcuntur per cauſas; ſed ſolummodò per principia, vel cognitionis, vel compoſitionis; ſicut oſtendetur poſteà. 3°. Philoſophia habitualis definiri debet, facilitas evidenter cognoſcendi entia naturalia per principia.

Digitized by Google

Monitum.

Quoniam modificatio definitur vel per ordinem ad ſubjectum, vel per ordinem ad objectum; ideò ad pleniorem definitionis Philoſophiæ intelligentiam, agemus de ejus ſubjecto & objecto.

Quod attinet ad ſubjectum Philoſophiæ. Dico primò, intellectum humanum eſſe ſubjectum *quo* Philoſophiæ; quia intellectus humanus eſt modificatio recipiens Philoſophiam, quæ eſt alia modificatio. Dico ſecundò, animam rationalem eſſe ſubjectum ejus, *quod*; quia eſt ſubſtantia recipiens Philoſophiam, mediante intellectu. Dico 3°. homines quoſdam eſſe ſubjectum denominationis Philoſophiæ; quia homines quidam denominantur Philoſophi, à Philoſophiâ.

Quod attinet ad objectum Philoſophiæ, ſic ſtatuimus.

Concluſio prima.

Entia naturalia ſunt objectum materiale Philoſophiæ. Objectum enim materiale ſcientiæ, eſt id omne quod propter ſe conſideratur in ſcientiâ: atqui entia naturalia propter ſe conſiderantur in Philoſophiâ; ut conſtare debet ex eo quòd, nihil propter ſe conſideretur in Philoſophiâ, præter entia naturalia: ergo, &c.

At, inquies, ex hâc concluſione ſequeretur Philoſophiam eſſe complexionem ſcientiarum omnium humanarum: atqui falſum conſequens; ergo & antecedens.

Nego minorem. Philoſophia namque eſt complexio ſcientiarum omnium humanarum; ut patet ex eo quòd ſingulæ ſcientiæ humanæ nihil aliud ſint, quàm partes quædam Philoſophiæ paulò fuſiùs evolutæ; ſicut manifeſtum fiet in hoc toto curſu philoſophico.

Concluſio ſecunda.

Cognoſcibilitas evidens per principia; eſt objectum formale Philoſophiæ... Illud enim eſt objectum formale Philoſophiæ, quod eſt modus ſpecialis, ſub quo Philoſophia conſiderat objectum ſuum materiale: atqui cognoſcibilitas evidens per principia, eſt modus ille ſpecialis; quandoquidem per modum hunc Philoſophia diſtinguitur tùm à ſcientiâ Divinâ; tùm à cognitione merè experimentali; ergo, &c.

Concluſio tertia.

Entia naturalia, quatenùs evidenter cognoſcibilia per principia, ſunt objectum adæquatum, ceu totale Philoſophiæ. Illud enim eſt objectum totale ſcientiæ, quod complectitur objectum materiale, & ob-

Digitized by Google

jectum formale hujus ſcientiæ : atqui, ut conſtat ex ſuperioribus concluſionibus, entia naturalia quatenùs evidenter cognoſcibilia per principia, complectuntur objectum materiale, & objectum formale Philoſophiæ : ergo, &c.

Et certè illud eſt objectum totale ſcientiæ, quod habet conditiones omnes ad objecti totalitatem requiſitas : atqui entia naturalia, quatenùs evidenter cognoſcibilia per principia, habent conditiones omnes ad objecti totalitatem requiſitas.

Quatuor enim ſunt conditiones ad objecti totalitatem requiſitæ, nimirùm *unitas*, *relatio*, *commenſuratio*, & *diſtinctio* : atqui entia naturalia, &c. habent quatuor has conditiones.

1°. Quidem habent *unitatem*. Quæcumque enim ſunt in quibuſdam ſimilia, habent unitatem quæ dicitur ſimilitudinis ; & quæ, ſicut oſtendetur in Logicâ, ſufficit ad objectum ſcientiæ : atqui entia naturalia quatenùs, &c. ſunt in multis ſimilia. 1°. In eo quòd habeant attributa ſociabilia. 2°. In eo quòd ſint naturalia. 3°. In eo quòd ſint evidenter cognoſcibilia. 4°. In eo quòd ſint cognoſcibilia per principia ; ergo habent unitatem.

2°. Habent *relationem*. Illud enim dicitur habere relationem ; in præſenti caſu,

Digitized by Google

ad quod referuntur quæcumque tractantur in ſcientiâ: atqui quæcumque tractantur in Philoſophiâ, referuntur ad entia naturalia, quatenùs, &c. ergo habent relationem.

3°. Habent *commenſurationem.* Illud enim dicitur habere commenſurationem, reſpectu ſcientiæ, quod nec latiùs, ſeu generaliùs, nec ſtrictiùs, ſeu minùs generaliter patet iſtâ ſcientiâ: atqui entia naturalia quatenùs, &c. nec latiùs, nec ſtrictiùs patent ipsâ Philoſophiâ: non latiùs; quia nulla alia ſcientia præter Philoſophiam, conſiderat entia naturalia, ut evidenter cognoſcibilia per principia: non etiam ſtrictiùs; quia Philoſophia de nullâ aliâ re agit propter ſe: ergo habent commenſurationem.

4°. Denique habent *diſtinctionem.* Illud enim diſtinctionem habere dicitur, quod ſcientiam diſtinguit ab aliâ quâvis: atqui entia naturalia quatenùs, &c. Philoſophiam diſtingunt ab aliâ quâvis ſcientiâ, verbi gratiâ, à ſcientiâ Divinâ: ergo habent diſtinctionem; cùm igitur habeant omnes conditiones ad objecti totalitatem requiſitas, ſunt objectum totale Philoſophiæ.

Dices. Philoſophia agit de quibuſdam entibus ſupernaturalibus, verbi gratiâ,

Digitized by Google

de immutabilitate Dei; ergo entia naturalia ſtrictiùs patent ipsâ Philoſophiâ.

Diſtinguo antecedens. Philoſophia agit de quibuſdam entibus *per accidens* ſupernaturalibus, concedo. *Per ſe ſupernaturalibus*, nego, & nego conſequentiam; Entia dicuntur per ſe ſupernaturalia, quæ citrà revelationem divinam nunquam poſſunt à nobis cognoſci, qualia ſunt Trinitas Perſonarum divinarum, Incarnatio Verbi divini, &c. Illa dicuntur per accidens ſupernaturalia, quæ per revelationem quidem divinam nobis innoteſcunt; ſed quæ, ſublatâ hâc revelatione, poſſent à nobis cognoſci, quales ſunt multæ Dei perfectiones. Revera, &c.

An ſit Philoſophia.

Ad ſolvendam hanc quæſtionem, notandum 1°. Cognitiones noſtras duplicis eſſe generis, ſcilicet de entibus, ut in ſe ſunt; & de entibus, ut nobis apparent: ſic hæc propoſitio, *circulus eſt rotundus*, eſt cognitio de entibus, ut in ſe ſunt; hæc autem, *turris mihi videtur rotunda*, eſt de entibus, ut nobis apparent.

Notandum 2°. entia naturalia duplicis etiam eſſe generis; alia nimirùm intrà nos poſita, ſeu quæ ſunt animæ noſtræ modificationes, ut *cognitio*, *amor*, *dolor*, &c.

Digitized by Google

alia verò, extrà nos poſita: qualia ſunt *Deus*, *corpora*, &c.

Notandum 3°. in entibus extrà nos poſitis, partes duplicis eſſe generis, eſſentiales & contingentes, de quibus dictum fuit.

Notandum denique cognitiones noſtras, tùm de entibus, ut nobis apparent; tùm de entibus intrà nos poſitis, prout per ſenſum innoteſcunt: tum de entibus ut in ſe ſunt, quatenùs per aliud motivum, quàm per idæarum noſtrarum intuitum cognoſcuntur, nullatenùs eſſe philoſophicas; hinc ſolæ cognitiones, quæ per idæarum intuitum acquiruntur, poſſunt eſſe philoſophicæ.

His notatis, ſenſus quæſtionis eſt utrùm exiſtant cognitiones evidentes per principia?

Concluſio.

Philoſophia actualis exiſtit. Philoſophia namque actualis, eſt cognitio evidens entium naturalium per principia: atqui exiſtit multiplex cognitio evidens, &c. Judicia namque ritè deducta, ex principiis evidentibus, ſunt cognitiones evidentes per principia: atqui exiſtunt multa judicia ritè deducta, ex principiis evidentibus. Nam, verbi gratiâ, conſcius ſum me ideò

judicare, Deum exiſtere: quia exiſtentia à me deprehenditur incluſa in idæa Dei; corpora eſſe diviſibilia: quia diviſibilitas à me deprehenditur incluſa in idæâ corporum; & ſic de multis aliis: ergo exiſtunt cognitiones evidentes per principia: ergo exiſtit Philoſophia actualis.

Exiſtit etiam Philoſophia habitualis. Quoties enim exercentur multi actus ſimiles, toties acquiritur facilitas alios ſimiles poſteà producendi, ſicut quotidiana docet experientia: atqui multi homines conſcii ſunt, multas cognitiones evidentes per principia à ſe fuiſſe productas; ergo conſcii ſunt ſe habere facilitatem alias ſimiles producendi: ergo exiſtit Philoſophia habitualis.

Colliges Philoſophiam tùm actualem, tùm habitualem, eſſe poſſibilem. Quod enim exiſtit, eſt poſſibile: atqui utraque Philoſophia illa exiſtit, ſicut mox fuit probatum: ergo utraque eſt poſſibilis.

Objectiones.

Objicies. 1°. Ut exiſteret Philoſophia, dari deberet certiſſimum veritatis cryterium ſeu ſignum, cujus ope verum à falſo, certum ab incerto, & evidens ab inevidenti ſecernerentur: atqui nullum datur ejuſmodi cryterium ſeu ſignum: ergo, &c.

Digitized by Google

Nego minorem, & dico idæarum intuitum, ſeu uno nomine *evidentiam*, eſſe certiſſimum ejuſmodi cryterium, ſeu ſignum. Vel enim agitur de cognitionibus in materiâ neceſſariâ, hoc eſt, quæ verſentur circà objecta neceſſaria & immutabilia; vel agitur de cognitionibus in materiâ contingenti, ſeu quæ verſentur circà objecta contingentia, & mutabilia. Sic primùm; tunc cognitio vera eſt certa, & evidens, quando ex idæarum intuitu deprehendimus, objecta aliter eſſe non poſſe ac cognoſcuntur. Sic ſecundùm; tunc cognitio vera, certa eſt & evidens, quando ex idæarum intuitu, deprendimus, motivum ab idæis diverſum, & per ſenſum intimum cognitum, habere connexionem neceſſariam, cum objectis cognitis.

Inſtabis. 2°. Quod dum abſens eſt, judicatur præſens; & quod dum præſens eſt, judicatur abſens; non eſt certiſſimum veritatis cryterium: atqui dum abſens eſt evidentia, judicatur præſens; & dum præſens eſt, judicatur abſens; ergo evidentia non eſt certiſſimum veritatis cryterium.

1°. Nego priorem majoris partem. Dum enim abeſt id, per quod ſolum evidenter cognoſcere poſſumus; mirum non eſt, ſi tunc erremus: porrò, dum abeſt eviden-

tia, abeſt id, per quod ſolum evidenter cognoſcere poſſumus, ut per ſe manifeſtum eſt; quamobrem licet, dum abeſt evidentia, falsò judicemus eam adeſſe; nihilominùs ipſa certiſſimum eſt veritatis cryterium.

2°. Nego poſteriorem minoris partem. Sicut enim, ubi dolore quodam acuto percellitur anima noſtra, judicare non poſſumus, dolorem abeſſe, quia tunc per ſenſum intimum conſcii ſumus de ejus præſentiâ; ſic quando præſens eſt evidentia, per ſenſum intimum ita conſcii ſumus de ejus præſentiâ, ut judicare non poſſumus ipſam abeſſe.

Inſtabis 2°. probando poſteriorem minoris partem. Quod diſtingui non poteſt à præjudiciis, judicari poteſt abſens, licet reipsâ ſit præſens: atqui evidentia diſtingui non poteſt à præjudiciis: ergo dum præſens eſt evidentia, judicari poteſt abſens.

Ut intelligatur reſponſio, notandum eſt præjudiciorum nomine, hîc intelligi judicia falſa, quæ fuerunt à nobis lata, vel ante perfectum rationis uſum, vel abſque ſufficienti attentione & reflexione. Hoc notato,

1°. Nego majorem, quia licet evidentia ſecerni non poſſet à præjudiciis; non id-

circò, dum præſens eſt, judicari poſſet abſens; quandoquidem ipſa præjudicia, dum ſunt præſentia, judicari non poſſunt abſentia.

2°. Nego minorem. Hæc enim ſunt præcipua diſcrimina evidentiam inter & præjudicia; 1°. quòd evidentia ſit attentio mentis ad idæas; præjudicia verò ſint judicia lata ex motivo falſo. 2°. Quòd evidentia tùm ex parte ſui, tùm ex parte objectorum, lumine vivido mentem afficiat; præjudicia verò mentem nullatenùs illuſtrent circà objecta de quibus feruntur.

Inſtabis. 3°. Illud ſecerni non poteſt à præjudiciis, cujus natura ignoratur: atqui evidentiæ natura ignoratur, ut conſtare debet ex eo quòd à quibuſdam Philoſophis dicatur *fulgor quidam*; ego, &c.

1°. Nego majorem. Quamvis enim à multis ignoretur natura, verbi gratiâ, doloris; à nemine tamen confunditur cum præjudiciis.

2°. Nego minorem. Et dico evidentiam eſſe mentis attentionem, tùm ad idæas objectorum repræſentativas, tùm ad objecta per idæas repræſentata: quòd ſi multi Philoſophi naturam evidentiæ non ſatis exploratam habuerint, nihil ad nos.

Notandum autem eſt evidentiam eſſe duplicem, philoſophicam & minimè philo-

ſophicam. Evidentia philoſophica, eſt ea quæ mox fuit definita; evidentia minimè philoſophica, nihil aliud eſt, quàm ſenſus intimus: verbi gratiâ, hæc propoſitio, *omne totum majus eſt ſuâ parte*, evidens eſt evidentiâ philoſophicâ, quia conſtat vera per intuitum idæarum totius, & partis; hæc autem propoſitio, *ſentio dolorem*, evidens eſt evidentiâ minimè philoſophicâ, quia conſtat vera, per ſenſum intimum.

Objicies. 2°. Ut exiſteret aliqua cognitio philoſophica, dari deberet motivum certum quo foret innixa: atqui non datur ejuſmodi motivum: ergo, &c.

Nego minorem. Evidentia quippe certiſſimum eſt cognitionum noſtrarum motivum, ſicut oſtendetur in Logicâ.

Inſtabis. Omnis cognitio humana nititur ſenſibus; vulgare enim eſt effatum, *nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*: at ſenſus noſtri ſunt fallaces; ſicut multiplici conſtat experientiâ: ergo, &c.

Diſtinguo minorem (quæ prima eſt in objectione.) Omnis cognitio humana nititur ſenſibus, tanquam causâ, ut aiunt, occaſionali, concedo. Tanquam motivo, nego. Reverâ ſenſus, vel potiùs motus excitati in organis corporeis, ſunt occaſiones, cur attendamus ad objecta extrà nos poſita, quatenùs ex eorum impreſſionibus

anima noſtra determinatur ad attendendum ad has, aut illas idæas; ſed ſenſus nullatenùs fuit motivum cognitionum noſtrarum philoſophicarum; quamobrem ſuprà dictum effatum verum quidem eſt, ſi intelligatur, eo ſenſu, quòd ad nullum attendamus objectum, niſi quid ſenſile dederit occaſionem attentioni noſtræ; ſed falſum eſt, ſi intelligatur eo ſenſu, quòd ad nullum attendamus objectum, niſi priùs fuerit ſenſile. Sed de his in Metaphyſicâ.

Obſervandum porrò, organa corporea nobis adeò fuiſſe conceſſa, ut judicemus de entibus extrà nos poſitis, prout hæc objecta nobis apparent; unde ſi iis in hunc tantùm finem utamur, nunquam nos decipiunt.

Objicies. 3°. Ut exiſteret Philoſophia, dari deberet objectum certò cognoſcibile: atqui (Deo tamen excepto) nullum eſt objectum certò cognoſcibile. Quod enim eſt contingens, non eſt certò cognoſcibile: atqui quodlibet objectum, præter Deum, eſt contingens; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Illud enim eſt certò cognoſcibile, quod habet attributa neceſſariam inter ſe connexionem habentia: at objectum quodlibet habet attributa neceſſariam inter ſe connexionem habentia; nimirùm attributa eſ-

ſentialia ; proindeque quodlibet objectum eſt certò cognoſcibile.

Quòd attinet ad poſteriorem ſillogiſmum, ſeu ad probationem minoris ſillogiſmi. 1°. Nego majorem : oſtendetur enim poſteà, dari poſſe ſcientiam de contingentibus.

2°. Diſtinguo minorem. Quodlibet ens, præter Deum, eſt contingens, quantùm ad exiſtentiam, concedo.... Quantùm ad connexionem partium eſſentialium, nego. Diſtingue pariter minorem. Solutio facilis.

Objicies. 4°. Ut exiſteret Philoſophia ; deberet eſſe in nobis facultas certò cognoſcens : atqui nulla eſt in nobis facultas certò cognoſcens. Facultas enim errori obnoxia, non eſt certò cognoſcens : atqui facultas noſtra cognoſcendi, quæ dicitur *intellectus*, eſt errori obnoxia, ſicut quotidiana conſtat experientia : ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi, & ad ejus probationem diſtinguo minorem. Intellectus noſter eſt errori obnoxius, quando judicat, aut diſcurrit ex motivo caduco & fallibili, concedo ; ex motivo firmo & inconcuſſo, nego. Diſtingue pariter conſequens. Itaque intellectus noſter duobus modis conſiderari poteſt univerſim ſcilicet, & ſpeciatim. Conſideratur

univerſim, quando conſideratur independenter à motivis. Speciatim verò, quando ſpectatur relativè ad motiva. Quòd ſi ſpectetur univerſim, nec dici poteſt certò cognoſcens, nec errori obnoxius, quia neutram ex his qualitatibus includit in ideâ ſuâ. Si ſpectetur prout nititur motivo caduco & fallibili, tunc eſt errori obnoxius; ſi tandem ſpectetur prout innixus motivo firmo & inconcuſſo, tunc eſt facultas certò cognoſcens; alioquin motivum non eſſet reipsâ firmum & inconcuſſum. Si igitur quæratur quænam ſit in nobis facultas certò cognoſcens, reſpondendum eſt, intellectum noſtrum, prout innixum motivo firmo & infallibili, eſſe facultatem certò cognoſcitivam.

Objicies denique. Nulla exiſtit Philoſophia, ſi quilibet homo dubitare debeat de omnibus entibus, ut in ſe ſunt: atqui res ſic ſe habet; dubium namque generale eſt via veritatis inveniendæ certiſſima: ergo, &c.

Diſtinguo majorem... Si quilibet homo dubitare debeat effectivè de omnibus entibus, ut in ſe ſunt, concedo... Methodicè tantùm, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Itaque mens noſtra duplici modo dubitare poteſt, effectivè & methodicè. Tunc dubitat effectivè,

quando reipsâ vacillat inter affirmationem & negationem. Tunc autem methodicè dubitat, quando revocat ad examen, connexionem motivorum, quibus adducta fuit ad judicandum, cum objectis de quibus tulit judicia. Reverâ poteſt quis dubitare methodicè de entibus, ut in ſe ſunt, ut nempè firmiorem aſcenſum præbeat propoſitionibus anteà receptis, ut veris; & hoc ſenſu generale dubium eſt via veritatis inveniendæ certiſſima: at nemo ſanæ mentis poteſt dubitare effectivè de omnibus entibus, ut in ſe ſunt. Verbi gratiâ, nemo poteſt effectivè dubitare, num totum majus ſit ſuâ parte; & hoc ſenſu, nedum generale dubium ſit via veritatis inveniendæ certiſſima, eſt potiùs inſuperabile veritatis detegendæ impedimentum; quia tunc nihil eſſet, per quod ex hoc generali dubio poſſemus emergere.

Cur ſit Philoſophia.

Quod attinet ad principia cognitionis Philoſophiæ, nulla hîc ſpecialis occurrit difficultas; evidentia quippè, ſimplex eſt ipſius principium cognitionis, & varia axiomata, ſeu propoſitiones per ſe evidentes, ſunt ejus principia cognitionis complexa. Inquiremus autem in Metaphyſicâ, quænam propoſitio ſit primùm cognitio-

nis philoſophicæ principium complexum.

Quod ſpectat ad principia compoſitionis Philoſophiæ, nulla pariter eſt difficultas; nam ipſius genus, differentia, & proprietates dici debent ipſius principia compoſitionis eſſentialia: præterea partes in quas diſtribuitur, vocari ſolent ejus principia integrantia, ex eo quòd requirantur ad ejus integritatem.

Circà cauſas Philoſophiæ ſic breviter ſtatuo. Primò, entia naturalia per idæas noſtras repræſentata ſunt ejus cauſa exemplaris; quia nos dirigunt in ferendis judiciis noſtris philoſophicis.

2°. Cognitio veritatis eſt cauſa finalis proxima Philoſophiæ habitualis: omnis enim habitus habet pro causâ ſuâ finali proximâ, actus ſimiles iis per quos fuit acquiſitus: at Philoſophia habitualis producta fuit per cognitiones veritatis, ut per ſe patet; proindeque, &c.

3°. Veritas ipſa dici debet cauſa finalis proxima Philoſophiæ actualis; quia Philoſophia actualis, proximè refertur ad veritatem.

4°. Deus eſt cauſa finalis ultima Philoſophiæ tùm habitualis, tùm actualis; quia Deus eſt bonum quoddam, ad quod omnia ſic referuntur, ut ipſe non referatur ad aliud bonum.

5°. Solus

5°. Solus Deus eſt cauſa efficiens, ſeu phyſica Philoſophiæ habitualis : quia probabitur in Morali, ſolum Deum eſſe cauſam phyſicam noſtrorum habituum.

6°. Deus eſt cauſa efficiens prima Philoſophiæ actualis, & quidam homines ſunt ejus cauſæ effectrices ſecundæ.

Occaſione cauſæ efficientis Philoſophiæ, hîc inquiri ſolet à Philoſophis, an & quomodò Adamus habuerit Philoſophiam? has quæſtiones ſic ſolvimus.

Prima Concluſio.

Adamus habuit Philoſophiam habitualem congenitam, ſeu, ut aiunt nonnulli, *infuſam*. Ille namque habuit Philoſophiam habitualem, &c. cujus anima producta fuit, iis omnibus dotibus inſtructa, quæ requirebantur ad eum vitæ ſtatum, in quo fuerat conſtitutus; Philoſophia namque habitualis, eſt ea animæ perfectio, ſine quâ, homo ſui ſtatûs officia vix adimplere poteſt : atqui anima Adami producta fuit à Deo, inſtructa iis omnibus dotibus, quæ, &c. ſicut conſtare debet, tùm ex eo quòd Deus intelligentiâ, potentiâ & bonitate polleat; tum ex eo quòd anima Adami producta fuerit, ab omni labe, ſeu peccato immunis; adeòque nullum fuit, ex ipſius parte, impedimentum, quominùs produce-

retur in ſtatu ſuo perfecta: ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Omnis habitus comparatur per actus ſimiles frequenter productos: atqui Adamus, ſtatim à nativitate ſuâ, nullos produxerat actus Philoſophiæ; ergo non ſtatim à nativitate ſuâ, habuit Philoſophiam habitualem.

Diſtinguo majorem. Omnis habitus, juxtà leges ordinarias acquiſitus, concedo. Præter leges ordinarias comparatus, nego. Conceſſâ minore, diſtingue pariter conſequens. Itaque habitus duplici modo poteſt acquiri, juxtà leges ordinarias, & præter leges ordinarias. Tunc acquiritur juxtà leges ordinarias, quando eâ tantùm proportione producitur, & intenditur facilitas, quâ producuntur actus ſimiles. Tunc verò comparatur præter leges ordinarias, quando ſine præviis actibus, facilitas in mente noſtrâ producitur.

Inſtabis. Habitus naturalis non poteſt eſſe infuſus, ſeu præter leges ordinarias acquiſitus: atqui habitus Philoſophiæ naturalis eſt: ergo habitus Philoſophiæ non poteſt eſſe infuſus.

Diſtinguo majorem. Habitus naturalis, non poteſt eſſe infuſus per ſe, concedo. Infuſus per accidens, nego. Conceſsâ mi-

nore, diſtingue pariter conſequens. Itaque habitus poteſt eſſe infuſus vel per ſe, quando ſic à Deo producitur, ut juxtà leges ordinarias, ſeu occaſione ſimilium actuum, nunquam compararetur. Tales ſunt habitus fidei, ſpei & charitatis, per baptiſmum infuſi; habitus dicitur infuſus, per accidens, quando producitur quidem à Deo ſine præviis actibus ab animâ productis; ſed ſucceſſivè produci potuiſſet occaſione ſimilium actuum ab animâ productorum. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Qui habuit Philoſophiam habitualem noſtræ ſimilem, eam non habuit infuſam ſeu congenitam: atqui Adamus habuit Philoſophiam noſtræ ſimilem; ergo eam non habuit infuſam.

Diſtinguo majorem. Qui habuit Philoſophiam habitualem noſtræ ſimilem, quantùm ad illius obtinendæ modum, eam non habuit congenitam, concedo. Noſtræ ſimilem, quantùm ad ipſius eſſentiam, ſeu naturam, nego. Reverâ Philoſophia habitualis Adami fuit noſtræ ſimilis, quantùm ad eſſentiam, quia fuit facilitas evidenter cognoſcendi entia naturalia per principia; ſed non fuit noſtræ ſimilis, quantùm ad modum eam comparandi: Adamus enim eam obtinuit ſine labore & exercitio; nos autem, ſimilium actuum

repetitione, habitum illum ſucceſſivè comparamus.

Objicies denique. Actus vitæ, ſeu actio ſubſtantiæ viventis, non poteſt infundi: atqui Philoſophia eſt actus vitæ; ergo non potuit infundi.

Diſtinguo minorem. Philoſophia actualis eſt actus vitæ, concedo. Philoſophia habitualis eſt actus vitæ, nego. Diſtingue pariter conſequens. Reverâ actus vitæ non poteſt infundi: verbi gratiâ, actus amoris non poteſt infundi, quia tunc non eſſet actus amantis; ſed habitus infundi poteſt, quia eſt mera paſſio ex parte animæ noſtræ, ſicut oſtendetur in morali.

Secunda concluſio.

Veriſſimile eſt Adamum habuiſſe Philoſophiam actualem. Qui enim habuit Philoſophiam habitualem congenitam, qui conſtitutus fuit Dux & Legiſlator hominum ſucceſſu temporis naſcentium, qui Deum diligere tenebatur, quique nondum laborabat concupiſcentiâ rationi rebelli, probabiliter habuit Philoſophiam actualem; debuit enim eſſe doctus ut doceret, & prudens ut leges ferret; debuit pariter Deum, ejuſque mandata cognoſcere, alioquin ad impoſſibilia fuiſſet adſtrictus: atqui Adamus habuit Philoſo-

phiam habitualem congenitam (per concluſionem præcedentem); aliundè verò ſic fuit conſtitutus; ut colligitur ex Scripturâ Sacrâ; proindeque, &c.

Nota porrò ſecundam hanc concluſionem nullatenùs eſſe philoſophicam; quia nec eſt, nec eſſe poteſt evidens.

Objectiones.

Objicies. 1°. Qui Deum non cognovit; non habuit Philoſophiam actualem: atqui Adamus Deum non cognovit. Qui enim credidit Deum non eſſe ubique, ipſum non cognovit: atqui Adamus credidit Deum non eſſe ubique, ut conſtat ex eo quòd, ejus conſpectum effugere voluerit, poſtquàm comedit de fructu vetito: ergo, &c.

1°. Nego majorem. Licet enim quis ignoret ens aliquod, fieri tamen poteſt, ut alia cognoſcat evidenter per principia; quamobrem licet Adamus Deum non cognoviſſet; exindè non ſequitur ipſum caruiſſe Philoſophiâ actuali: imò ad Philoſophiam actualem requiritur entium quorumdam ignorantia; ſiquidem philoſophari, eſt procedere à magis noto, ad minùs notum.

2°. Nego minorem. Qui enim tenebatur Deum diligere, & ipſi ſoli ſervire,

Digitized by Google

debuit ipſum cognoſcere; nemo quippè poteſt objectum ignotum amore proſequi: porrò Adamus ad id tenebatur, ſicut dictitat lex ipſa naturalis.

Ad probationem autem diſtinguo majorem. Qui credidit Deum non eſſe ubique, ſecundùm ſuam eſſentiam, ipſum non cognovit, eſto. Qui credidit Deum ſub humanâ formâ latitantem, ubique non eſſe, ipſum non cognovit, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Cùm igitur Deus multoties apparuiſſet Adamo, ſub formâ humanâ, Adamus poſt peccatum abſcondere ſe voluit à conſpectu Dei, ſub hâc formâ latitantis; ſed noluit ſe abſcondere à conſpectu Dei, ſecundùm eſſentiam conſiderati. Dixi autem *eſto*, quia licet Deus non cognoſcatur ſecundùm aliquod ſuum attributum, verbi gratiâ, ſecundùm immenſitatem; exindè non ſequitur, ipſum ignorari quantùm ad alia attributa, verbi gratiâ, quantùm ad bonitatem, juſtitiam, &c.

Objicies. 2°. Qui non cognovit naturam ſerpentis & pomi, non habuit Philoſophiam actualem: atqui Adamus non cognovit naturas ſerpentis & pomi. Qui enim credidit ſerpentem eſſe loquendi capacem, & pomum parere poſſe ſcientiam boni & mali, non cognovit horum

entium naturas; atqui Adamus id credidit; ergo, &c.

1°. Nego majorem prioris ſillogiſmi. Quamvis enim Adamus non cognoverit naturas ſerpentis & pomi; exindè non ſequitur, ipſum caruiſſe Philoſophiâ actuali, ut conſtat ex ſuprà dictis. Hinc ut efficaciter evinceretur, Adamum caruiſſe Philoſophiâ actuali, probari deberet, nulla omninò entia naturalia ipſi fuiſſe evidenter nota per principia; quod probari nunquam poteſt.

2°. Nego minorem ejuſdem ſillogiſmi. Veriſſimile enim eſt quæcumque erant in Paradiſo terreſtri, Adamo fuiſſe nota. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Qui credidit ſerpentem eſſe loquendi capacem, & pomum parere poſſe ſcientiam boni & mali, virtute ſibi propriâ & naturali, concedo. Virtute ſupernaturali & alienâ, nego. Reverâ, &c.

Objicies denique. Ille non habuit Philoſophiam actualem, cui omnia entia naturalia erant evidenter nota: atqui omnia entia naturalia erant Adamo, &c. Illi enim, &c. qui habuit entium omnium naturalium idæas ſibi impreſſas in primo creationis inſtanti: atqui Adamus in primo creationis ſuæ momento, habuit idæas entium omnium naturalium impreſſas, ſi-

Digitized by Google

quidem ejus natura producta fuit perfecta: ergo, &c.

Nego minorem. Illi enim non omnia entia naturalia fuerunt evidenter nota; qui non potuit ad illa omnia ſimul attendere: atqui Adamus attendere non potuit ad omnia ſimul entia naturalia; quia intellectus ejus erat finitus, & entia naturalia ſunt numero infinita, ſicut conſtabit ex dicendis; proindeque, &c. Ad probationem autem nego majorem. Ut enim homo cognoſcat objectum aliquod, non ſufficit; ſi habeat ejus idæam; ſed requiritur inſuper, ut adſint cauſæ occaſionales, ad eam attendendi, ſicut intelligetur ex dicendis.

Quæres autem, utrùm habitus philoſophandi in Adamo fuerit perfectus?

Reſpondeo, habitum illum fuiſſe perfectum. Ille namque habitus dicitur perfectus, qui nullis retardatur impedimentis: atqui habitus philoſophandi in Adamo nullis retardabatur impedimentis. Tunc enim habitus intellectualis nullis retardatur impedimentis, quando intellectus immunis eſt à præjudiciis, & præcipitatione: atqui intellectus Adami fuit immunis à præjudiciis, & præcipitatione: à præjudiciis quidem, quia Adamus ſtatim à ſuâ nativitate perfectum habuit rationis uſum;

à præcipitatione pariter, quia in Adamo innocente nulla fuit concupiſcentia rationi rebellis, & attentionem ejus detorquens; proindeque, &c.

Dices. Qui non habuit facilitatem evidenter cognoſcendi quælibet entia naturalia, non habuit Philoſophiam habitualem perfectam: atqui Adamus non habuit facilitatem, &c. Hæc enim entia ſunt numero infinita, & intellectus Adami fuit eſſentialiter finitus: ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Qui non habuit facilitatem evidenter cognoſcendi quælibet entia naturalia diſtributivè ſumpta, concedo. Collectivè ſumpta, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ Adamus non habuit facilitatem evidenter cognoſcendi quælibet entia naturalia collectivè ſumpta, id eſt, non habuit facilitatem attendendi ad omnia ſimul entia naturalia; ſed habuit facilitatem cognoſcendi omnia entia naturalia diſtributivè ſumpta, hoc eſt, nullum fuit ens naturale determinatum, cujus evidenter cognoſcendi, non habuerit perfectam facilitatem.

Qualis ſit Philoſophia.

Miſſis variis proprietatibus & titulis,

quibus ab Oratoribus & Philoſophis decorari ſolet Philoſophia, hîc examinabimus ſolummodò ipſius perfectionem & neceſſitatem.

Quod attinet ad Philoſophiæ perfectionem, notandum eſt aliquid dici poſſe perfectum duobus modis, eſſentialiter, & integraliter. Illud dicitur perfectum eſſentialiter, quod habet omnia ſua attributa eſſentialia; illud verò dicitur integraliter perfectum, quod habet ea omnia, quæ poſſunt ipſum perficere. Hoc notato,

Dico 1°. Philoſophiam tùm habitualem, tùm actualem, eſſentialiter eſſe perfectam; quia nullum ens carere poteſt ſuis attributis eſſentialibus.

Dico 2°. Philoſophiam habitualem in Adamo fuiſſe integraliter perfectam, ſicut probatum fuit; eamdem autem in nobis non eſſe perfectam integraliter; quia facilitas philoſophandi in nobis, ſemper eſt conjuncta cum præjudiciis & præcipitatione; nec enim in hâc vitâ caremus concupiſcentiâ rationi rebelli.

Dico denique Philoſophiam actualem in nullo homine reperiri poſſe integraliter perfectam. Cùm enim Philoſophia actualis ſit cognitio evidens entium naturalium per principia, hæc cognitio poteſt extendi ad entia naturalia plura, & plura

Digitized by Google

in infinitum, adeòque magis, & magis in infinitum perfici poteſt.

Quod attinet ad Philoſophiæ neceſſitatem, notandum eſt 1°. *neceſſarium* ſumi poſſe, vel per oppoſitionem ad *contingens*, vel per oppoſitionem ad *inutile*. Notandum 2°. neceſſarium ſumptum pro *utili*, duplex rurſùs ſubdiſtingui, ſecundùm *quid*, & *ſimpliciter*. Neceſſarium ſecundùm quid, dicitur illud, ſine quo aliquid poteſt eſſe tale; ſed non tam facile: ſic equus eſt neceſſarius, ſecundùm quid, ad iter longum conficiendum. Neceſſarium ſimpliciter dicitur illud, ſine quo aliquid abſolutè non poteſt eſſe tale: ſic gratia Salvatoris neceſſaria eſt ſimpliciter, ad felicitatem æternam obtinendam. Notandum denique homines ſumi poſſe, vel diſtributivè, vel collectivè; ſumuntur diſtributivè, quando ſumuntur pro unoquoque ſingulari, nempè pro Petro, Paulo, &c. Sumuntur autem collectivè, quando omnes ſimul conſiderantur. His notatis,

Dico 1°. Philoſophiam non eſſe neceſſariam, prout neceſſarium opponitur contingenti; quia Philoſophia non exiſtit neceſſariò.

Dico 2°. Philoſophiam eſſe neceſſariam ſecundùm quid, ut homines, diſtributivè ſumpti, benè beatèque vivant. Ratio eſt,

quia quilibet homo poteſt quidem benè beatèque vivere abſque Philoſophiâ, ſed non tam facilè; ut conſtare debet ex eo quod inter agendum, frequens occurrat dubitandi ratio, vixque verum à falſo, commodum à noxio, ſecerni poſſunt.

Dico 3°. Philoſophiam non eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariam, ut homines, diſtributivè ſumpti, benè beatèque vivant: quia ſufficit, ſiquidam ex his in arte diſcurrendi ſint ita verſati, ut eorum conſilio, cæteri vitam regere poſſint.

Dico denique Philoſophiam eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariam, ut homines, collectivè ſumpti, benè beatèque vivant. Ratio eſt, quia tota hominum collectio non poteſt benè beatèque vivere, abſque notitiâ eorum, quæ hominem bonum, beatumque reddere poſſunt: at ejuſmodi notitia eſt Philoſophia; proindeque, &c.

Quotuplex ſit Philoſophia.

Philoſophia diſtribuitur 1°. in habitualem & actualem, quarum definitiones traditæ ſunt. 2°. In ſpeculativam & practicam. Philoſophia ſpeculativa dicitur ea, cujus objectum non eſt producibile, mediantibus Philoſophiæ legibus; practica

verò, cujus objectum eſt producibile, mediantibus Philoſophiæ legibus.

Philoſophia ſpeculativa duas habet partes, Metaphyſicam & Matheſim. Metaphyſica, eſt ea Philoſophiæ pars, quæ conſiderat ens univerſim, & ſpecies ejus inſenſiles, quatenùs hæc omnia ſunt inſenſilia. Matheſis, eſt ea Philoſophiæ pars, quæ verſatur circà quantitatem quamlibet finitam, ut finitam, hoc eſt, circà ea omnia quæ poſſunt vel augeri, vel minui.

Philoſophia practica tres habet partes, Logicam, Phyſicam & Moralem. Logica verſatur circà quoſlibet actus intellectûs, quatenùs ad veritatem formalem dirigibiles. Phyſica verſatur circà corpora naturalia, prout ſunt naturalia, ſeu prout ſecundùm certas leges fuerunt compacta. Moralis occupatur circà actus humanos, prout ad honeſtatem dirigibiles.

Circà poſtremam Philoſophiæ diſtributionem, tria hîc inquiruntur à Philoſophis. 1°. An ſcientia ſpeculativa nobilior ſit practicâ? 2°. Quænam è ſpeculativis ſit nobilior? 3°. Quænam è practicis nobilitate cæteris præſtet? Ut his quæſtionibus fiat ſatis, nota, nobilitatem, ſeu excellentiam ſcientiæ deſumi poſſe ex duplici capite, ex objecto ſcilicet, & ex motivo. Tunc una ſcientia dicitur alterâ nobilior,

ratione objecti, quando ipſius objectum excellentius ſeu perfectius eſt objecto alterius. Tunc ſcientia dicitur alterâ nobilior, ratione motivi, quando motivum, quo nititur, certius eſt motivo, quo nititur altera. Hoc notato,

Dico 1°. omnes Philoſophiæ partes eamdem habere nobilitatem, ex parte motivi; quia ipſarum omnium idem eſt aut eſſe debet motivum, nimirùm *evidentia*.

Dico 2°. Metaphyſicam particularem cæteris omnibus eſſe nobiliorem, ratione objecti: quia ejus objectum, nempè ſubſtantiæ ſpirituales, cæteris omnibus objectis eſt excellentius.

Dico 3°. Metaphyſicam generalem cæteris omnibus eſſe ignobiliorem, ratione objecti; quia ejus objectum, ſcilicet ens univerſim, minùs perfectum eſt, quàm aliud quodvis objectum; ſicut intelligetur ex poſteà dicendis.

Dico 4°. Moralem eſſe Logicâ nobiliorem, ratione objecti; quia Moralis verſatur circà actus humanos, qui, ut potè liberi, præſtantiores ſunt cæteris animæ noſtræ actibus.

Dico denique Phyſicam dici non poſſe nobiliorem, aut ignobiliorem, ſive Morali, ſive Logica, ratione objecti; quia objectum Phyſicæ nullatenùs comparari

poteſt cum objectis Moralis & Logicæ.

APPENDIX

De præcipuis Philoſophorum Sectis.

Secta deſcribi poteſt hominum multitudo, quæ à cæteris quaſi ſecta ſeu diviſa, aliquod doctrinæ genus, ſub aliquo Principe, ſeu Duce, ſectatur & amplectitur. Hinc Secta fuit, ſic dicta vel à ſecando, vel à ſectando. Per tempus non licet veteres Philoſophorum Sectas, hîc enumerare; ſufficiat obſervare, ſolam Ariſtotelis Philoſophiam per decem & ampliùs ſæcula floruiſſe in Europâ; eoſque, qui Philoſophiam hanc amplectebantur, dictos fuiſſe *Peripateticos*. Secta Peripateticorum diſtributa fuit in tres alias percelebres. Prima, dicitur *Thomiſtarum*, quæ Ducem agnoſcit divum Thomam Aquinatem, ſub titulo, *Doctoris Angelici*. Secunda, vocatur *Scotiſtarum*, quæ Principem agnoſcit Joannem aut Huns, aut Duns, Scotum, Ordinis Fratrum Minorum ſub titulo, *Doctoris ſubtilis*. Tertia, dicitur modò *Okamiſtarum*, modò *Nominalium*, quæ Ducem ſequitur Okamum Anglum, Ordinis pariter Fratrum Minorum, ſub titulo, *Doctoris ſingularis*. Præter has Sectas quæ vigent adhuc, exortæ ſunt tres aliæ. Pri-

Digitized by Google

ma, vocatur Gaſſendiſtarum, quæ Ducem agnoſcit Petrum Gaſſendum, Regium in Academiâ Pariſienſi Mathæſeos Profeſſorem, qui obiit anno 1656. Secunda, dicitur Carteſianorum, quæ Ducem ſequitur Renatum Deſcartes, Dominum du Perron Gallum, qui obiit apud Suevos anno 1650. Tertia, eſt Neutonianorum, cujus Dux fuit Iſaacus Neutonus Anglus, celeberrimus Geometra, qui obiit anno 1727. Hos omnes Philoſophos, quantùm fas eſt, veneramur: nullius tamen Sectæ tenaces erimus, arbitrantes Philoſophiam non hominum autoritate, ſed firmis rationibus eſſe ſtabiliendam: Philoſophia namque non eſt fides humana, ſed ſcientia.

CONCERTATIONES

circà Logicam univerſim.

QUatuor tantùm inſtituemus quæſtiones, circà Logicam univerſim; *quid ſit; an ſit; qualis & quotuplex ſit.* Quæſtio namque, *cur ſit*, ſolvenda erit, proportione ſervatâ, ſicut ſoluta fuit quæſtio, Cur ſit Philoſophia univerſim.

Digitized by Google

Quid ſit Logica.

Duo hîc inquiruntur à Philoſophis; quodnam ſit genus Logicæ; deinde quænam ſit ejus differentia?

De genere Logicæ.

Ut detegatur Logicæ genus, notandum 1°. tres habitus diverſos reperiri poſſe in intellectu humano, ſcilicet errorem, opinionem, & ſcientiam. Error, eſt facilitas aſſentiendi propoſitionibus reipsâ falſis, ex motivo falſo. Opinio, eſt facilitas aſſentiendi propoſitionibus quibuſlibet, ſive veris, ſive falſis, ex motivo ſolummodò probabili. Scientia, ſeu virtus intellectualis, eſt facilitas aſſentiendi propoſitionibus veris, ex motivo firmo, & inconcuſſo.

Notandum 2°. quatuor eſſe ſcientiæ ſpecies; *intelligentiam, ſapientiam, prudentiam, & artem.* Intelligentia, eſt facilitas aſſentiendi propoſitionibus evidentibus, abſque diſcurſu. Sapientia, eſt facilitas eruendi concluſiones generales, ex propoſitionibus univerſaliſſimis. Prudentia, eſt facilitas dirigendorum actuum humanorum, ad honeſtatem. Ars, eſt facilitas aliquid producendi, ſecundùm certas leges; ita tamen ut id quod eſt produci-

Digitized by Google

bile, diverſum ſit à moribus. His notatis,

Certum eſt primò, Logicam eſſe habitum intellectualem; quia verſatur circà veritatem. Certum eſt ſecundò, Logicam, ut potè Philoſophiæ partem, niti debere motivo philoſophico; unde non poteſt eſſe error. Quoniam autem nonnulli putant Logicam eſſe, ſaltem ex parte, opinionem; & quoniam aliundè dubitatur, an ſpeculativa ſit, an practica; & ex hypotheſi quòd ſit practica, an ſit ars? ideò ut ſolvantur hæc dubia, ſint,

Prima concluſio.

Logica eſt ex omni parte ſcientia. Facilitas enim ſemper aſſentiendi veritati, ex motivo firmo & inconcuſſo, dicitur ab omnibus, ſcientia: atqui Logica, ſecundùm omnes ſuas partes, eſt facilitas aſſentiendi veritati, ex motivo firmo & inconcuſſo. Facilitas enim aſſentiendi, ex præceptis certis & immutabilibus, eſt facilitas aſſentiendi, ex motivo firmo, & inconcuſſo: atqui Logica eſt ejuſmodi facilitas, in omnibus ſuis partibus. Idem enim ſit judicium de cæteris Logicæ præceptis, ac de ſequentibus... Definitio ſubſtantiæ conſtare debet genere proximo, & differentiâ ſpecificâ... Sillogiſmus, cujus duæ

præmiſſæ ſunt negantes, non ritè concludit... Qui voluerit in aliquâ ſcientiâ methodicè procedere, debet à facilioribus, ad difficiliora gradum facere, &c. Atqui hæc præcepta certa ſunt, & inconcuſſa; oſtendentur enim innixa noſtrarum idæarum intuitu; ergo Logica eſt facilitas ſemper aſſentiendi veritati, ex motivo firmo, & inconcuſſo; ergo Logica eſt ex omni parte ſcientia.

Objectiones.

Objicies. 1°. Ille habitus intellectualis, non eſt ex omni parte ſcientia, qui mentem nonnunquam inclinat ad falſum: atqui Logica mentem noſtram nonnunquam inclinat ad falſum. Ille namque habitus mentem nonnunquam inclinat ad falſum, qui ipſam inclinat ad concluſionem ſequentis ſillogiſmi:

Omnis homo eſt marmor:
Atqui Petrus eſt homo:
Ergo Petrus eſt marmor.

Atqui Logica mentem inclinat ad concluſionem hujus ſillogiſmi; confectus enim eſt ſecundùm omnes Logicæ regulas; ergo Logica mentem nonnunquam inclinat ad falſum: ergo Logica non eſt ex omni parte ſcientia.

Nego minorem prioris ſillogiſmi, ob

rationes allatas in probatione; & diſtinguo majorem poſterioris. Ille habitus mentem nonnunquam inclinat ad falſum, qui ipſam inclinat ad concluſionem allati ſillogiſmi, ſpectatam ratione materiæ, concedo. Spectatam ratione formæ, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Tunc concluſio conſideratur ratione materiæ, quando ſpectatur, prout enuntiat habitudinem attributi, ad ſubjectum; tunc autem conſideratur ratione formæ, quando ſpectatur prout ex præmiſſis deducta, ſeu prout eſt connexa cum præmiſſis: porrò Logica mentem quidem inclinat ad aſſentiendum concluſioni ſillogiſmi mox allati, ratione formæ ſpectatæ: quia concluſio ritè deducta fuit ex præmiſſis, ſeu neceſſariam habet cum præmiſſis connexionem; ſed Logica mentem non inclinat ad concluſionem ſupradicti ſillogiſmi, ratione materiæ ſpectatam; quia Logicæ non eſt, ſed aliarum ſcientiarum, examinare materiam propoſitionum.

Atqui Logica mentem nonnunquam inclinat ad aſſentiendum concluſioni, quæ falſa ſit, ratione formæ; ergo nulla ſolutio.

Nego ſubſumptum. Logica namque tradit ea præcepta de ſillogiſmo conficiendo, quæ ſi ritè ſerventur, mentem ſemper

impellunt ad concluſiones ex præmiſſis ritè deducendas.

Probo ſubſumptum. Logica mentem inclinat ad aſſentiendum concluſioni alterius hujus ſillogiſmi.

Qui non colit Deum, non erit ſalvus:
Atqui impius non colit Deum;
Ergo impius non erit ſalvus.

Attamen, ejuſmodi concluſio falſa eſt, ratione formæ. Illa namque concluſio falſa eſt, ratione formæ, quæ deducitur ex duabus præmiſſis negantibus: atqui concluſio ſillogiſmi mox allati, deducitur ex duabus præmiſſis negantibus; ergo, &c.

Nego ſecundam antecedentis partem. Concluſio namque ſillogiſmi mox allati deducitur ex præmiſſis, ſecundùm regulas inconcuſſas. Ad probationem autem nego minorem, & dico propoſitionem minorem illius ſillogiſmi eſſe reipsâ affirmantem; ſenſus enim eſt impius, eſt de numero eorum, qui non colunt Deum.

Inſtabis 1°. probando minorem. Illa propoſitio dici debet negans, in quâ reperitur particula, *non*: atqui in allati ſillogiſmi minore reperitur particula, *non*: ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si propoſitio ſit ſimplex, concedo. Si propoſitio ſit complexa, ſubdiſtinguo. Quando particula *non*, cadit in verbum, concedo. Quando

Digitized by Google

cadit in complexionem vel ſubjecti, vel prædicati, nego. Itaque propoſitio aliqua, ſimplex eſt, vel complexa: dicitur ſimplex, quando nihil additur, aut ſubauditur additum, vel ſubjecto, vel prædicato. Tunc autem dicitur complexa, quando aliquid vel additur, vel ſubauditur additum, aut ejus ſubjecto, aut ejus prædicato. Reverâ ſi propoſitio ſit ſimplex, ſemper eſt negativa, quando continet particulam, *non*, qualis eſt iſta, Deus non eſt crudelis; at ſi propoſitio ſit complexa, tunc vel illa particula cadit in verbum, & conſequenter enuntiat ſeparationem prædicati à ſubjecto; quo in caſu, negativa eſt; vel illa particula cadit in complexionem ſive expreſſam, ſive ſubauditam, vel ſubjecti, vel prædicati: quo in caſu, non idcircò negativa eſt; hinc ſequentes propoſitiones complexæ, negativæ ſunt.... Deus non creavit ſubſtantias omnipotentes... Deus ſummè juſtus non redimet damnatos; ſequentes verò nullatenùs ſunt negantes.... Deus qui non eſt crudelis, puniet peccatores... Deus creavit ſubſtantias, quæ non ſunt diviſibiles.

Inſtabis 2°. ex conceſſis. Quoties reperitur particula *non*, in propoſitione ſimplici, toties hæc propoſitio dici debet negans: atqui minor allati ſillogiſmi, ſimplex

eſt. Tam enim minor allata, dici debet ſimplex, quàm iſta, *Petrus non ſtudet*: at hæc propoſitio ſimplex eſt; ergo & prior.

Nego minorem prioris ſillogiſmi, & diſtinguo majorem poſterioris Tam allata minor, ſimplex eſt, quantùm ad voces, concedo. Quantùm ad ſenſum, ſeu ſignificationem, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens. Itaque propoſitio poteſt eſſe ſimplex, quantùm ad voces, quæ complexa ſit, quantùm ad ſenſum: quod ut dignoſcas, habenda eſt ratio circumſtantiarum omnium, ex quibus detegi poteſt, num ſubaudiatur aliqua complexio; ſicut clariùs intelligetur ex dicendis in Logicâ: quoniam igitur ex majori propoſitione prædicti ſillogiſmi, facilè colligitur prædicatum allatæ minoris eſſe debere complexum; in quantum ſubjectum majoris propoſitionis, quod eſt terminus medius, complexum eſt, & fieri debet prædicatum in allatâ minore, ut ſit idem terminus medius in majore, & in minore; exindè colligitur propoſitionem illam minorem debere eſſe complexam de prædicato, proindèque non eſt ſimplex.

Objicies. 2°. Habitus, cujus objectum non eſt neceſſarium, dici non poteſt ſcientia: atqui objectum Logicæ non eſt ne-

Digitized by Google

ceſſarium, ſed contingens; ergo Logica non eſt ſcientia.

Diſtinguo majorem. Habitus, cujus objectum non eſt neceſſarium, quantùm ad eſſentiam, concedo. Quantùm ad exiſtentiam, nego. Solutio intelligetur ex dictis, de exiſtentiâ Philoſophiæ.

Duobus modis contrà ſolutionem hanc ſubſumi poteſt: priore modo ſic: atqui objectum Logicæ neceſſarium non eſt, quantùm ad eſſentiam; poſteriore modo ſic: atqui ſi objectum Logicæ neceſſarium non eſt, quantùm ad eſſentiam, Logica non eſt ſcientia.

Inſtabis igitur 1°. probando prius ſubſumptum, illud non eſſe neceſſarium: quantùm ad eſſentiam, de cujus eſſentiâ traduntur præcepta: atqui de eſſentiâ objecti Logicæ traduntur præcepta; ergo, &c.

Diſtinguo majorem propoſitionem: de cujus eſſentiâ, traduntur præcepta mutabilia, tranſeat... immutabilia, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Præcepta mutabilia dicuntur ea, quæ pendent à libero hominum arbitrio; quales ſunt variæ leges humanæ. Præcepta immutabilia ſunt ea, quæ nullatenùs pendent à libertate; quale eſt iſtud: reddendum unicuique, quod ſuum eſt. Dixi autem, *tranſeat*; quia quævis

quævis eſſentiæ, ſunt invariabiles.

At, inquies, inutile eſt tradere præcepta vel immutabilia de neceſſariis, & immutabilibus, quantùm ad eſſentiam; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Inutile eſt tradere præcepta, de neceſſariis & immutabilibus, ut ſint talia, concedo. Ut ſciamus ipſa eſſe talia, nego: & nego conſequentiam.

Inſtabis 2°. probando poſterius ſubſumptum. Niſi objectum ſcientiæ neceſſarium eſſet, quantùm ad exiſtentiam; artes omnes dici poſſent ſcientiæ: falſum conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo ſequelam. Artes omnes eſſent ſcientiæ, quando earum objecta cognoſcuntur per præcepta certa, & immutabilia, concedo. Quando earum objecta producibilia ſunt, abſque præceptis certis & immutabilibus, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, &c.

Objicies denique. Habitus, qui tractat de fallaciis, ſeu de ſillogiſmis deceptoriis, non eſt ſcientia: atqui Logica tractat de fallaciis: ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Ut fiant, & ſint in uſu, concedo. Ut detegantur & vitentur, nego. Diſtingue pariter minorem,

Digitized by Google

& nega conſequentiam. Reverâ, &c.

Concluſio ſecunda.

Logica eſt ſcientia practica. Illa namque ſcientia dicitur practica, cujus objectum eſt producibile ſecundùm hujus ſcientiæ præcepta: atqui objectum Logicæ producibile eſt, &c. Cognitiones enim, ſeu actus intellectûs, ſunt objectum Logicæ, ut poſteà probabitur: atqui cognitiones producibiles ſunt, ſecundùm Logicæ præcepta, verbi gratiâ, ſillogiſmi producuntur ſecundùm Logicæ regulas; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1o. Illa ſcientia non eſt practica, quæ verſatur circà ſpeculationes: atqui Logica verſatur circà, &c. Scientia enim, quæ verſatur circà definitiones, & argumentationes metaphyſicas, verſatur circà ſpeculationes; Metaphyſica namque totaliter eſt ſpeculativa: atqui Logica verſatur circà definitiones, & argumentationes metaphyſicas: quia ſunt totidem actus intellectûs; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi, ob rationes allatas in probatione; & diſtinguo majorem poſterioris. Scientia, quæ

verſatur circà definitiones, & argumentationes metaphyſicas, ratione materiæ ſpectatas, concedo. Ratione formæ conſideratas, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Itaque definitiones metaphyſicæ (idem dicendum de argumentationibus) ſpectari poſſunt, vel ratione materiæ, vel ratione formæ. Tunc ſpectantur ratione materiæ, quando conſiderantur per ordinem, ad objecta quæ definiuntur; tunc autem ſpectantur, ratione formæ, quando conſiderantur, per ordinem ad leges, ſecundùm quas conficiuntur. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Illa ſcientia non eſt practica, cujus objectum eſt immutabile: atqui objectum Logicæ eſt immutabile: ergo, &c.

Diſtinguo majorem... Cujus objectum eſt immutabile, quantùm ad exiſtentiam, concedo. Quantùm ad eſſentiam, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega, &c. Reverâ, &c.

Objicies denique. Illa ſcientia non eſt practica, quæ non relinquit poſt ſe opus ſenſile; praxis enim ab Ariſtotele dicitur pertinere ad facultatem corpoream, quæ relinquit poſt ſe opus ſenſile: verbi gratiâ, domum, tabellam, &c. atqui Logica non relinquit poſt ſe, opus ſenſile, quando-

Digitized by Google

quidem pertinet ad facultatem ſpiritualem : ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim ſcientia dicatur practica, ſufficit, ſi ejus objectum producibile ſit, ſecundùm hujus ſcientiæ leges; ſcientia quippè, juxtà ipſum Ariſtotelem, ſpecificatur ab objecto, hoc eſt, ſpeculativa eſt, aut practica, prout ejus objectum eſt, vel improducibile, vel producibile, ſecundùm hujus ſcientiæ regulas: porrò objectum Logicæ, licet inſenſile, producibile eſt, ſecundùm Logicæ præcepta; proindeque, &c. Ubi notabis Ariſtotelem & Peripateticos dixiſſe quidem, at non probaſſe, praxim pertinere ad facultatem corpoream; unde hæc authoritas nullius eſt momenti; imò potentia activa probabitur inſociabilis cum corpore.

Concluſio tertia.

Logica eſt ars. Habitus enim verâ cum ratione effectivus, dicitur ab omnibus ars: atqui Logica eſt habitus verâ cum ratione, effectivus. Habitus enim practicus, qui non verſatur circà mores ad honeſtatem dirigendos, vocatur effectivus: atqui Logica eſt habitus practicus (per concluſionem præcedentem); aliundè verò verſatur circà aliquid à moribus diverſum,

Digitized by Google

nempè circà actus intellectûs; ergo, &c.

Et certè ſcientia, quæ dirigit functiones, quarum prætium poſitum eſt in induſtriâ & peritiâ, dicitur ars: atqui prætium Logicæ poſitum eſt in, &c. Ille quippè dicitur peritus Logicus, qui ſua judicia, ſuoſque omnes diſcurſus, ſecundùm Logicæ leges conficit; proindèque, &c.

Dices. Si Logica eſſet ars, Logici dici poſſent *Artifices*: atqui Logici dici non poſſunt, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si Logica foret ars mechanica, concedo. Ars liberalis, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens, & nega conſequentiam. Ars mechanica dicitur ea, quæ majorem requirit vim, ex parte corporis, quàm ex parte ingenii; qualis eſt ars ſutoria: ars liberalis eſt ea, quæ majorem requirit vim, ex parte ingenii, quàm ex parte corporis, qualis eſt ars pictoria. Uſus autem invaluit, ut ii tantùm dicerentur *Artifices*, qui mechanicas artes exercent. Reverâ, &c.

De differentiâ Logicæ.

Objectum adæquatum, ſeu totale ſcientiæ, ſolet afferri, pro ipſius differentiâ. Cùm enim ſcientia, ſive habitualis, ſive actualis, dicat ordinem eſſentialem ad

objectum ſuum totale ; ideò definiri ſolet per hunc ordinem. Hinc inquirendum eſt objectum totale Logicæ, & conſequenter, inquirenda ſunt ejus objectum materiale, & ejus objectum formale.

Tria conſiderari poſſunt circà cognitiones humanas, nimirùm actus ipſi intellectûs ; objecta circà quæ verſantur hi actus ; & voces quibus cognitiones, & objecta ſignificantur. Hinc Philoſophi quidam, ut Thomiſtæ, aſſignant pro objecto materiali Logicæ, cognitionum noſtrarum objecta ; Okamiſtæ, voces ipſas aſſignant, pro objecto illo, undè dicti ſunt Nominales. Alii denique ipſos actus intellectuales aſſignant pro objecto materiali Logicæ. Ex his autem, alii contendunt ſola judicia ; alii, ſolam demonſtrationem; alii denique, judicia, ſimul & diſcurſus, eſſe objectum materiali Logicæ. Ut ſolvantur hæc dubia, ſint,

Concluſio prima.

Objecta cognitionum noſtrarum, non ſunt objectum materiale Logicæ. Illud enim non eſt objectum materiale ſcientiæ practicæ, quod non eſt producibile, ſecundùm hujus ſcientiæ leges : atqui Logica eſt ſcientia practica ; ut fuit probatum ; aliundè verò, objecta cognitionum noſtra-

Digitized by Google

rum producibilia non ſunt, ſecundùm Logicæ regulas; ſicut manifeſtum eſt, de Deo, animâ rationali & corporibus, &c. ergo, &c.

Et certè objectum materiale unius tantùm Philoſophiæ partis, non debet eſſe idem, ac objectum totius Philoſophiæ; alioqui non haberet commenſurationem: atqui objecta cognitionum noſtrarum, ſeu *entia naturalia*, ſunt objectum Philoſophiæ; ergo, &c.

Dices cum Thomiſtis, illud omne dici debet objectum materiale Logicæ, in quo reperitur veritas: atqui in omnibus entibus naturalibus, reperitur veritas; ens enim quodlibet eſt *verum*; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. In quo reperitur veritas formalis, tranſeat; veritas materialis, ſeu objectiva, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Veritas formalis, eſt connexio operis cum præceptis ſcientiæ practicæ. Veritas materialis, ſeu objectiva, eſt connexio partium, ex quibus entia componuntur. Reverâ, &c. Dixi autem, *tranſeat*; quia non ſola Logica eſt ſcientia practica.

Concluſio ſecunda.

Voces non ſunt objectum materiale Logicæ. Quod enim non conſideratur propter

ſe in Logicâ, non eſt ejus objectum materiale: atqui voces non ſic conſiderantur in Logica; ſed in gratiam actuum intellectualium, aut explicandorum, aut manifeſtandorum; ut patet, tùm ex eo quòd eſſent inutiles, ſi nulli actus intellectûs eſſent, vel manifeſtandi, vel explicandi; tùm ex eo quòd voces ſint diverſæ, apud diverſos populos, quamvis apud ipſos Logica ſit eadem; proindequè, &c.

Notandum autem eſt, has denominationes, *majus extremum*, *minus extremum*, *medium*, *ſubjectum*, *prædicatum*, &c. à Peripateticis vocari, *entia rationis Logica*, & à nonnullis eorum aſſignari pro objecto materiali Logicæ: at immeritò; quia non conſiderantur propter ſe in Logicâ.

Concluſio tertia.

Non ſola demonſtratio eſt objectum materiale Logicæ. Non enim illud ſolum eſt objectum materiale Logicæ, præter quod, aliud propter ſe conſideratur in Logicâ: atqui, præter demonſtrationem, aliud propter ſe, conſideratur in Logicâ. Illud enim propter ſe, conſideratur in Logicâ, præter demonſtrationem, quod, ſublatâ demonſtratione, dirigibile foret per Logicæ præcepta: atqui, ſublatâ demonſtratione, aliud eſſet dirigibile per Logicæ

præcepta ; nimirùm definitiones, diſtributiones, & argumentationes, à demonſtratione diverſæ ; ut conſtare debet ex eo quòd præcepta de his operationibus tradita, diverſa ſint à præceptis, quæ traduntur de demonſtratione ; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Illud ſolum eſt objectum materiale Logicæ, ad quod referuntur quæcumque tractantur in Logicâ : atqui quæcumque tractantur in Logicâ, referuntur ad demonſtrationem. Partes enim demonſtrationis, ad ipſam referuntur : atqui quæcumque tractantur in Logicâ, ſcilicet apprehenſiones, & judicia, ſunt partes demonſtrationis ; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi : quia, ſublatâ demonſtratione, apprehenſiones, & judicia per Logicam dirigerentur. Ad probationem autem, nego etiam minorem. Apprehenſiones enim & judicia prærequiruntur quidem ad demonſtrationem ; ſed dici non poſſunt partes demonſtrationis : unus enim actus ſpecialis, qualis eſt demonſtratio, non componitur ex aliis actibus ſpecialibus.

Inſtabis. Ea ſunt partes demonſtrationis, ſine quibus non poteſt eſſe demonſtratio : atqui, ſine apprehenſionibus &

Digitized by Google

judiciis, non poteſt eſſe demonſtratio; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Sine quibus componentibus, concedo. Sine quibus prærequiſitis, Nego. Solutio facilis.

Objicies. 2°. Illud ſolum eſt objectum materiale Logicæ, quod ſolum eſt modus cognoſcendi per principia: atqui ſola demonſtratio, eſt modus cognoſcendi per principia; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod ſolum eſt modus cognoſcendi per principia univerſim, ſive cognitionis, ſive compoſitionis, concedo. Per principia cognitionis complexa tantùm, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, illud ſolum eſt objectum Logicæ, quod ſolum eſt modus cognoſcendi per principia univerſim, ſive cognitionis, ſive compoſitions; non autem per ſola principia cognitionis complexa: quia modò per evidentiam, modò per propoſitiones evidentes, modò per partes componentes, ducimur in notitiam entium naturalium.

Concluſio quarta.

Omnes cognitiones, ſeu actus intellectûs, ſunt objectum materiale Logicæ. Illud enim eſt objectum materiale Logicæ, quod eſt producibile, ſecundùm præcepta

Digitized by Google

Logicæ : atqui omnes actus intellectûs producibiles ſunt , ſecundùm Logicæ præcepta. Quæ enim , ſublatis Logicæ præceptis , aut nullatenùs , aut cum erroris formidine producerentur , dici debent producibilia , ſecundùm Logicæ præcepta : atqui, ſublatis Logicæ præceptis, actus intellectuales , aut nullatenùs , aut cum erroris formidine producerentur ; ſicut conſtat experientiâ , & ut attendenti patebit ; ergo , &c.

Objectiones.

Objicies. 1o. Quod conſideratur in Logicâ , propter aliud , non eſt de ipſius objecto : atqui apprehenſiones in Logicâ conſiderantur propter judicia , & varios diſcurſus ; ergo , &c.

Nego minorem. Ea namque non conſiderantur in Logicâ , propter judicia , & varios diſcurſus , de quibus producendis , ſpecialia traduntur præcepta : atqui de apprehenſionibus producendis , ſpecialia traduntur præcepta ; ſicut conſtabit ex dicendis ; proindèque , &c.

Inſtabis. Quæ non poſſunt exiſtere in animâ , ſine judicio , conſiderantur in Logicâ , propter judicium : atqui apprehenſiones non poſſunt exiſtere in animâ , ſine judiciis ; nunquam enim contingit , nulla

eſſe in animâ judicia, dum attendit ad objecta quædam; ſicut per experientiam unuſquiſque poteſt deprehendere; ergo, &c.

1°. Nego majorem. Quamvis enim duo entia ſint à ſe invicem inſeparabilia, non idcircò unum conſideratur propter aliud: verbi gratiâ, licet intellectus & voluntas, ſint facultates à ſe invicem inſeparabiles; non ideò voluntas conſideratur, propter intellectum; aut vice verſâ.

2°. Nego minorem propoſitionem. Dum enim mens attendit ad ſuas idæas, ſæpè dubitat de earum habitudinibus: porrò dum mens ſic dubitat, non judicat; proindèque, &c. Ad id autem quod additur, reſpondeo, ſemper quidem adeſſe judicia quædam, dum mens attendit ad idæas; ſed contendo judicia illa non ſemper enuntiare habitudinem idæarum, ad quas tunc fit attentio.

Objicies. 2°. Quod non eſt falſitatis capax, non eſt de objecto materiali Logicæ: atqui apprehenſiones non ſunt falſitatis capaces, ſicut probabitur in Logicâ; ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim aliquid ſit de objecto Logicæ, ſufficit quòd ſit producibile, ſecundùm Logicæ præcepta: at, quod eſt falſitatis incapax, nihilominùs eſt producibile, ſecundùm Logicæ præcepta; proindèque, &c.

Inſtabis. Quod non eſt dirigibile ad verum, non eſt de objecto Logicæ; dirigibilitas enim ad verum, eſt objectum formale Logicæ, ſicut concluſione ſequenti probabitur: atqui; quod non eſt falſitatis capax, non eſt dirigibile ad verum; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod non eſt dirigibile ad verum formale, concedo. Quod non eſt dirigibile ad verum materiale, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam, &c. Porrò apprehenſiones non ſunt quidem dirigibiles, ad verum materiale, quaſi ſcilicet, opus ſit præceptis, ut attingant objecta; prout in ſe ſunt; ſed dirigibiles ſunt, ad verum formale, hoc eſt, producibiles ſunt, juxtà Logicæ præcepta; ut patet ex eo quòd, ſublatis Logicæ præceptis, aut nullatenùs, aut cum erroris formidine producerentur. Uno verbo, apprehenſiones non ſunt dirigibiles per ordinem ad objecta, ſed per ordinem ad præcepta.

Objicies denique. Quod conſideratur in Logicâ propter judicium, non eſt de objecto Logicæ: atqui diſcurſus conſideratur in Logicâ propter judicium. In tantùm enim adhibetur diſcurſus, in quantùm mens dubitat de habitudine prædicati ad ſubjectum alicujus propoſitionis; ergo, &c.

Digitized by Google

Diſtinguo majorem. Quod conſideratur in Logicâ propter judicium, tanquam propter ſolum objectum Logicæ, concedo. Tanquam propter finem intentum à Philoſopho, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, diſcurſus adhibetur à Philoſopho, ut alicujus judicii veritatem detegat; ſed quoniam diſcurſus, nec eſt pars judicii, nec producitur ſecundùm præcepta de judicio tradita; ideò diſcurſus eſt de objecto materiali Logicæ.

Concluſio quinta.

Dirigibilitas actuum intellectualium, ad veritatem formalem, eſt objectum formale Logicæ. Illud enim eſt objectum formale Logicæ, quod eſt modus ſpecialis, ſub quo conſideratur objectum materiale Logicæ: atqui dirigibilitas actuum intellectualium, ad veritatem formalem, eſt modus ille ſpecialis. Logica namque tota eſt in tradendis regulis & præceptis de producendis actibus intellectualibus, & nulla alia ſcientia conſiderat actus intellectuales, ſub hoc reſpectu; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Dirigibilitas non eſt objectum formale Logicæ, ſi actus intellec-

tuales nullatenùs ſint dirigibiles : atqui actus intellectuales nullatenùs ſunt dirigibiles. Si enim actus intellectuales eſſent dirigibiles ; vel antequam producerentur ; vel dum producuntur ; vel poſtquam fuerunt producti : atqui nullum horum dici poteſt.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Experientiâ namque conſtat, actus intellectuales reipsâ produci, ſecundùm Logicæ præcepta. Ad probationem autem nego etiam minorem, præſertim quantùm ad duas priores partes. 1°. Namque actus intellectuales dirigibiles ſunt, antequàm producantur : quia tunc ſunt producibiles ſecundùm Logicæ præcepta. 2°. Sunt dirigibiles, dum producuntur : quia tunc per Logicæ præcepta diriguntur. Addo, ipſos utcumque dirigibiles eſſe, poſtquam fuerunt producti ; non quidem, eo ſenſu, quòd vitioſi mutari poſſint in legitimos ; ſed eo ſenſu, quòd mens alios ſubſtituat, ſi ſint vitioſi ; vel iis adhæreat, ſi ſint ritè confecti.

Inſtabis. Probando minoris partem primam. Quod nihil eſt, non eſt dirigibile ad verum ; nihili namque nullæ ſunt proprietates : atqui actus intellectûs, antequàm producantur, nihil ſunt ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod nihil eſt,

id eſt, quod eſt impoſſibile, concedo. Quod nihil eſt, ſeu quod eſt merè poſſibile, & nondum exiſtens, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Solutio jam fuit explicata. Ad id autem quod additur, reſpondeo, nihili, ſeu impoſſibilis, nullas eſſe proprietates: pariter nihili, ſeu merè poſſibilis, nullas eſſe proprietates exiſtentes; ſed contendo merè poſſibilis multas eſſe proprietates merè poſſibiles; eſt enim intelligibile, producibile, &c.

Objicies. 2°. Objectum formale ſcientiæ debet eſſe ipſius proprium: atqui dirigibilitas actuum intellectualium, ad veritatem, non eſt Logicæ propria: convenit enim cæteris Philoſophiæ partibus; ergo, &c.

Diſtinguo minorem. Dirigibilitas actuum intellectualium, ad veritatem materialem, ſeu objectivam, concedo. Ad veritatem formalem, nego. Diſtingue pariter conſequens.

Inſtabis. Metaphyſicæ eſt, conſiderare proprietates entium inſenſilium: atqui dirigibilitas actuum intellectualium, ad veritatem formalem, eſt proprietas inſenſilis horum actuum; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Metaphyſicæ eſt, conſiderare proprietates inſenſiles entium,

quatenùs ſunt entia inſenſilia, concedo. Quatenùs ſunt entia producibilia, ſecundùm certa præcepta, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens. Reverâ, &c.

Concluſio ſexta.

Actus intellectuales, quatenùs ad veritatem formalem dirigibiles, ſunt objectum totale Logicæ. Illud enim eſt objectum totale Logicæ, quod complectitur ejus objectum materiale, & ejus objectum formale: atqui actus intellectuales, quatenùs ad veritatem formalem dirigibiles, ſic ſe habent; ut conſtat ex probatis; ergo, &c.

Et certè illud eſt objectum totale ſcientiæ, quod habet unitatem, relationem, commenſurationem, & diſtinctionem: atqui, &c. ergo, &c.

Dices. Quod conſideratur in Logicâ, propter alias ſcientias, non eſt objectum adæquatum Logicæ; atqui cognitiones, quatenùs ad veritatem formalem dirigibiles, conſiderantur in Logicâ, propter alias ſcientias; quandoquidem hæ cognitiones vocantur cæterarum ſcientiarum inſtrumenta; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod conſideratur in Logicâ, propter alias ſcientias, tanquam

propter objectum Logicæ, concedo. Tanquam propter finem intentum à Philoſopho, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. &c.

At, inquies, finis & objectum, ſunt quid idem: atqui, ex conceſſis, cognitiones, quatenùs ad veritatem formalem dirigibiles, conſiderantur propter alias ſcientias, tanquam propter finem; ergo, & propter objectum.

Diſtinguo majorem. Finis internus & objectum, ſunt quid idem, concedo. Finis externus & objectum, ſunt quid idem, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Finis internus ſcientiæ, eſt id, ad quod quæcumque tractantur in hâc ſcientiâ, referuntur. Finis externus ſcientiæ, eſt id, quod ſciens ſibi proponit. Reverâ, &c.

Corollarium.

Ex dictis ſequitur, Logicam eſſe definiendam, artem directivam actuum intellectualium, ad veritatem formalem; hinc ab Authore Gallico malè definitur, *ars cogitandi.*

An ſit Logica.

Logica eſt, vel naturalis, vel artificioſa. Logica naturalis, eſt facilitas producendi

Digitized by Google

actus intellectuales, abſque regulis & præceptis. Logica artificioſa, eſt facilitas eoſdem actus producendi, ſecundùm præcepta certa, & inconcuſſa.

Certum eſt Logicam naturalem exiſtere: experientiâ quippè conſtat, ex hominibus illiteratis, alios aliis faciliùs ratiocinari. Difficultas igitur ſupereſt, circà exiſtentiam Logicæ artificioſæ, quæ ut ſolvatur, ſit,

Concluſio.

Exiſtit Logica artificioſa. Logica namque artificioſa, eſt facilitas producendorum actuum intellectualium, ſecundùm præcepta certa, & immutabilia: atqui exiſtit ejuſmodi facilitas. Experientiâ quippè compertum eſt, frequenti ſimilium actuum repetitione, facilitatem quandam agendi comparari: porrò multi homines, ſimiles actus intellectuales, ſecundùm præcepta certa & immutabilia produxerunt; proindèque, &c.

Et certè, quoties deprehenditur error in quibuſdam actibus intellectualibus, ita ut hic error, poſt varias obſervationes, emendetur; toties dari debet facilitas errorem hunc emendandi: atqui, in quibuſdam actibus intellectualibus deprehenſus fuit error, & hic error, poſt varias obſervationes, fuit tandem emendatus; ſicut

hominés quidam, per ſenſum intimum, ſunt conſcii; ergo datur facilitas errorem illum emendandi. Quoniam igitur hæc facilitas, vocatur Logica artificioſa; conſequens eſt, Logicam artificioſam exiſtere.

Dices. Illud non exiſtit, quod eſt inutile: atqui Logica artificioſa eſt inutilis. Ille namque habitus inutilis eſt, in intellectu humano, quo ſublato, homo certiùs exercet actus intellectuales: atqui, ſublatâ Logicâ artificiosâ, homo certiùs, &c. ope nimirùm ſolius Logicæ naturalis. Natura enim, inquiunt Philoſophi, certior eſt arte; ergo, &c.

Nego minorem utriuſque ſillogiſmi, ob rationes ſuperiùs allatas. Quod attinet ad effatum mox laudatum, quæro ab Adverſariis, quid intelligant nomine naturæ? Si intelligant ipſam agendi facultatem, ridiculum eſt effatum, quia potentia comparari non debet cum habitu; ſi verò intelligant ipſum habitum nullis præceptis innixum, apertè falſum eſt effatum.

Qualis ſit Logica.

Unica hîc movetur quæſtio, utrùm ſcilicet Logica artificioſa, neceſſaria ſit ad alias ſcientias comparandas? Ut ſolvatur,

Digitized by Google

Nota 1°. vocem hanc *neceſſaria*, hîc ſumi pro utili; undè ſenſus quæſtionis eſt, utrùm Logica artificioſa ſit neceſſaria, *ſecundùm quid*; an neceſſaria, *ſimpliciter?*

Nota 2°. ſcientiam comparari poſſe, vel in ſtatu perfecto, vel in ſtatu imperfecto. Tunc quis dicitur habere ſcientiam in ſtatu perfecto, non ubi cognoſcit evidenter, quæcumque pertinent ad illam ſcientiam, quia hoc eſt impoſſibile; ſed quando quædam entia ſic evidenter cognoſcit per principia, ut ſit imperturbabilis in ſuis cognitionibus, tùm ratione materiæ, tùm ratione formæ ſpectatis, & quando paratus eſt ſolvere difficultates, quæ contrà cognitiones illas proponi poſſunt. Tunc autem aliquis dicitur habere ſcientiam in ſtatu imperfectò, quando multa quidem evidenter cognoſcit; ſed non eſt imperturbabilis in ſuis cognitionibus, aut ex eo quòd cognitionum illarum formam ignoret, aut ex eo quòd detegere non poſſit ſophiſmata, quæ contrà cognitiones ſuas proponuntur. His notatis,

Certum eſt 1°. Logicam artificioſam non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ad cæteras ſcientias in ſtatu imperfecto comparandas: quia ſine Logicâ artificiosâ, poteſt quis eſſe imperturbabilis in ſuis cogni-

tionibus ratione materiæ, ſeu ratione objectorum ſpectatis.

Certum eſt 2°. Logicam artificioſam eſſe neceſſariam, *ſecundùm quid*, ad alias ſcientias comparandas: quia, fatentibus omnibus Philoſophis, qui Logicæ præceptis ſunt imbuti, cæteras ſcientias faciliùs acquirunt.

Supereſt igitur difficultas, utrùm Logica artificioſa ſit ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, ad cæteras ſcientias in ſtatu perfecto comparandas?

Concluſio.

Logica artificioſa eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas. Illud enim eſt abſolutè neceſſarium, ſine quo, nemo poteſt eſſe imperturbabilis in ſuis cognitionibus, ratione formæ ſpectatis; imperturbabilitas enim, ratione formæ, requiritur ad ſcientiæ perfectionem: atqui ſine Logicâ artificiosâ, nemo poteſt eſſe imperturbabilis in ſuis cognitionibus, ratione formæ ſpectatis. Ut enim quis ſit imperturbabilis in cognitionibus ſuis, ratione formæ ſpectatis, ſcire debet regulas & præcepta, de diſponendis & ordinandis ejuſmodi cognitionibus; forma quippè cognitionum, eſt earum artificioſa diſpo-

Digitized by Google

ſitio: atqui ſine Logicâ artificiosâ, ſciri non poſſunt illæ regulæ; Logica namque artificioſa nihil aliud eſt, quàm regularum illarum cognitio; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Logica non eſt abſolutè neceſſaria, ad comparandum id, quod fuit ante ipſam acquiſitum, vel in ſtatu perfecto: atqui ante Logicam artificioſam, cæteræ ſcientiæ comparatæ fuerunt in ſtatu perfecto. Nimirùm, ante Ariſtotelem, ſcientiæ comparatæ fuerunt in ſtatu perfecto; & tamen ante ipſum non erat Logica artificioſa, quandoquidem dicitur Inventor Logicæ: ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Scientiæ namque comparatæ non fuerunt in ſtatu perfecto, antequàm mens humana, per attentionem & reflexionem, certò noverit, num ritè procederet in ſuis cognitionibus. Ad probationem autem, diſtinguo ſecundam antecedentis partem, & tamen ante Ariſtotelem, non erat Logica artificioſa, à cæteris ſcientiis ſeparata, concedo. Cum iis permixta, nego. Diſtingue pariter conſequens. Tunc Logica dicitur ab aliis ſcientiis ſeparata, quando omnia præcepta, de diſponendis & ordinandis actibus intellectualibus, traduntur

ſeorſim ab aliis ſcientiis ; tunc autem conſideratur, prout cum aliis ſcientiis permixta, quando ſimul cum aliis ſcientiis, ea traduntur Logicæ præcepta, quæ requiruntur ad ſcientiarum illarum perfectionem. Reverâ, &c. Ariſtoteles igitur, eatenùs tantùm dicitur Inventor Logicæ, quatenùs præcepta Logicæ, per varias ſcientias reſperſa, in unum volumen collegerit.

Inſtabis. 1°. Cognitiones directæ comparari poſſunt in ſtatu perfecto, ſine cognitionibus reflexis, etiam permixtis : atqui cæteræ ſcientiæ ſunt cognitiones directæ ; Logica verò, eſt cognitio reflexa ; ergo, &c.

Nego majorem. Cognitiones enim directæ comparari non poſſunt in ſtatu perfecto, niſi adſit certitudo tùm ratione materiæ, tùm ratione formæ. Porrò, ſine cognitionibus reflexis, adeſſe non poteſt illa utraque certitudo ; proindeque, &c. Prætereà contendo cæteras ſcientias, non minùs eſſe cognitiones reflexas, quàm ipſam Logicam. Non minùs enim ad cognitiones ſcientificas requiritur mentis reflexio, quàm ad cognitionem regularum Logicæ. Nomine cognitionum directarum intelligunt Adverſarii actus intellectus per ordinem ad objecta, nomine verò cognitio-

num

num reflexarum, intelligunt actus intellectuales per ordinem ad præcepta, ſecundùm quæ producuntur.

Inſtabis. 2°. Ut quis dicatur habere ſcientiam in ſtatu perfecto, ſufficit quòd ſit imperturbabilis in ſuis cognitionibus: atqui, ſine Logicâ artificiosâ, poteſt quis eſſe imperturbabilis in ſuis cognitionibus. Omnes enim ſcientiæ ex naturâ ſuâ pariunt imperturbabilitatem; ergo, &c.

Diſtingo majorem. Sufficit quòd ſit imperturbabilis, tùm ratione materiæ, tùm ratione formæ, concedo. Ratione ſolius materiæ, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Solutio intelligitur ex notato.

Atqui poteſt quis eſſe imperturbabilis, etiam ratione formæ, ſine Logicâ artificioſâ. Ad hoc enim ſatis eſt, ſi quis poſt varias obſervationes, tandem deprehendat ſuas cognitiones eſſe ritè diſpoſitas & ordinatas: atqui, ſine Logicâ artificioſâ, poteſt quis illud deprehendere; ergo, &c.

Nego ſubſumptum, & ad probationem, nego minorem. Illud enim deprehendere, eſt habere Logicam artificioſam: hæc enim nihil aliud eſt, quàm multiplex obſervatio facta in errores, qui poſſunt occurrere circà cognitionum noſtrarum diſ-

poſitiones. Hinc ſive quis ſtudeat Logicæ artificioſæ ab aliis inventæ, ſive ipſam proprio labore excogitet; ſemper manifeſtum eſt, ipſam eſſe ſimpliciter neceſſariam, ad cæteras ſcientias in ſtatu perfecto comparandas.

Objicies. 2°. Ars organica non eſt abſolutè neceſſaria iis, qui utuntur organis: verbi gratia ars, frænefactoria neceſſaria non eſt iis, qui frænis utuntur: atqui Logica eſt ars organica, ſeu eſt ars conſtruendorum inſtrumentorum; aliundè verò qui cæteras acquirunt ſcientias, utuntur organis Logicæ, nempè definitionibus, argumentationibus, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si organis uti, non ſit ea conficere, concedo. Si organis uti, ſit ipſa conficere, nego. Itaque qui utuntur organis, ſeu inſtrumentis, vel poſſunt iis uti, abſque eo quòd ipſa conficiant: verbi gratia, poteſt quis uti malleo, abſque eo quòd ipſum conficiat; vel uti non poteſt organis, quin ipſa conficiat: verbi gratia, nemo poteſt uti ſillogiſmo, quin ipſum conficiat. Reverâ, &c.

Objicies. 3°. Si Logica eſſet abſolutè neceſſaria, ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas; eſſet quoque neceſſaria ad ſeipſam comparandam, quandoquidem ipſa eſt ſcientia; atqui abſurdum eſt Lo-

gicam eſſe neceſſariam, ad ſeipſam comparandam; ergo, &c.

Nego ſequelam. Quia nempè Logica non eſt de numero cæterarum ſcientiarum. Præterea, quamvis notitia regularum de diſponendis & ordinandis cognitionibus prærequiratur, ut cæteræ ſcientiæ in ſtatu perfecto comparentur; exindè non ſequitur, ad regularum illarum notitiam, prærequiri ipſarum cognitionem. Addo tamen primam Logicæ partem inſervire, ad comparandam ſecundam; deindè primam & ſecundam inſervire, ad obtinendam tertiam.

Objicies denique. Scientiæ comparari poſſunt, vel in ſtatu perfecto, abſque eo quòd dat tantùm, *facilius poſſe* : atqui Logica artificioſa dat, tantùm facilius poſſe, quia eſt ſolummodò facilitas; ergo, &c.

Diſtingo majorem. Si aliundè ſuppleri poſſit hoc *facilius poſſe*, concedo. Si non poſſit aliundè ſuppleri, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Ut igitur cæteræ ſcientiæ poſſint abſolutè comparari in ſtatu perfecto, ſine Logicâ artificiosâ, deberet aliundè ſuppleri poſſe facilitas illa, quam dat Logica de diſponendis, & ordinandis noſtris cognitionibus; hoc eſt, abſque notitiâ regularum Logicæ, cognoſci deberent illæ re-

gulæ: quod manifeſtam involvit contradictionem; proindèque, &c.

Quotuplex ſit Logica.

Logica, ut jam dictum fuit, diſtribuitur in naturalem & artificioſam; deindè Logica artificioſa ſubdiſtribui debet in docentem & utentem. Logica docens, ſi ſit habitualis, eſt facilitas cognoſcendi Logicæ præcepta; ſi verò ſit actualis, eſt præceptorum illorum cognitio. Logica utens, ſi ſit habitualis, eſt facilitas applicandi Logicæ præcepta; ſi verò ſit actualis, eſt præceptorum applicatio, ſeu uſus.

Circà hanc diſtributionem, inquirunt hîc Philoſophi, an Logica docens & utens, ſine ſe invicem exiſtere poſſint?

Certum autem eſt Logicam docentem, tùm habitualem, tùm actualem exiſtere poſſe ſine Logicâ utente, tùm habituali, tùm actuali; dummodò verſentur circà præcepta diverſarum operationum intellectualium: nam, verbi gratiâ, poteſt quis habere Logicam docentem circà præcepta definitionis, abſque eo quòd habeant Logicam, utentem circà ſillogiſmorum præcepta. Difficultas igitur eſt, an ſine ſe invicem exiſtere poſſint, dùm verſantur circà eadem præcepta?

Digitized by Google

Concluſio prima.

Logica docens actualis exiſtere poteſt, ſine Logicâ actuali utente. Si enim præcepta Logicæ cognoſci poſſint abſque eorum applicatione; Logica docens actualis, exiſtere poteſt ſine Logica utente actuali; atqui res ſic ſe habet: verbi gratiâ, regulæ in diſcurrendi methodo traditæ, cognoſci poſſunt abſque ullâ eorum applicatione; quandoquidem nulla tunc ſupponitur materia philoſophicè cognita, ſuprà quam fiat hæc applicatio; ergo, &c.

Dices. Regulæ definitionis cognoſci non poſſunt, quin applicentur, ſeu quin conficiantur definitiones; ergo, &c.

Diſtingo antecedens. Quin applicentur ope Logicæ naturalis, concedo. Ope Logicæ artificioſæ, nego. Diſtingue pariter conſequens. Revera cognoſci non poſſunt præcepta definitionis, quin per Logicam naturalem applicentur, quia tunc definitur ipſa definitio: at ubi primùm conficitur iſta definitio, nondum adeſt Logica utens artificioſa, ſeu ſcientifica præceptorum applicatio.

Corollaria.

Primum. Logica docens actualis exiſtere poteſt, ſine Logicâ utente habituali.

Secundum. Logica docens habitualis

exiſtere poteſt, ſine Logicâ utente, tùm habituali, tùm actuali.

Concluſio ſecunda.

Logica utens actualis, exiſtere non poteſt ſine Logicâ docente actuali. Logica namque utens actualis, eſt ſcientifica præceptorum Logicorum applicatio; Logica verò docens actualis, eſt eorumdem præceptorum Logicorum cognitio: atqui ſcientifica præceptorum Logicorum applicatio, non poteſt exiſtere ſine eorumdem cognitione; hoc eſt, nemo poteſt ſcientificè applicare præcepta, quin hæc cognoſcat; ſicut per ſe manifeſtum eſt.

Corollaria.

Primum. Logica utens actualis, exiſtere non poteſt ſine Logicâ docente habituali, ſaltem inchoatâ.

Secundum. Logica utens habitualis, exiſtere non poteſt ſine habitu Logicæ docentis.

Tertium. Logica utens habitualis exiſtere poteſt ſine Logicâ docente actuali. Ad hoc enim ſufficit, quòd habitus ſint modificationes in animâ noſtrâ permanentes, actus verò non ſint modificationes permanentes: atqui res ſic ſe habet, ut experientiâ conſtat; proindèque, &c.

Digitized by Google

LOGICA.

LOGICA, ut probatum fuit, eſt ars directrix actuum intellectualium, ad veritatem formalem. Diſtribui ſolet in quatuor partes, pro quatuor diverſis actibus intellectualibus.

Primam hanc Philoſophiæ partem, hoc ordine pertractabimus. 1°. Agemus de apprehenſione, tùm varias circà ipſam concertationes dirimere conabimur. 2°. Dicemus de judicio, & circà ipſum quædam ſubjungentur concertationes. 3°. Agemus de diſcurſu, variaſque circà ipſum proponemus, ſolvemuſque quæſtiones. 4°. Denique dicemus de methodo, & quæremus, an ſit actus intellectûs, à cæteris diverſus?

PRIMA PARS.

De apprehenſione.

Apprehenſio definiri debet, actus intellectûs attendentis, & reflectentis in objecta quæ ſunt, tùm intrà, tùm extrà

Digitized by Google

noſtram animam poſita ; & inſuper in varia ſigna, quibus utuntur homines, ut objecta manifeſtent, & explicent. Hoc autem eſt diſcrimen apprehenſionem inter & comprehenſionem, quòd apprehenſio ſit attentio ad aliquas tantùm partes alicujus objecti ; comprehenſio verò ſit attentio ad ea omnia, quæ ſunt in objecto quovis. Apprehenſio convenit ſpiritibus creatis ; comprehenſio verò, ſoli Deo, ſicut conſtabit ex dicendis.

Primam hanc Logicæ partem ſic ordinabimus. 1°. Fiet enumeratio præcipuorum entium, quæ ſunt intrà noſtram animam poſita. 2°. Enumerabimus præcipua entia, quæ vel exiſtunt, vel exiſtere poſſunt extrà noſtram animam, & examinabimus præcipuas eorum partes, tùm abſolutas, tùm relativas. 3°. Nonnulla ſubjungemus circà varia ſigna. 4°. Regulas generales circà primam hanc intellectûs operationem, proponemus. 5°. Denique varias inſtituemus concertationes, circà apprehenſionem.

De entibus intrà noſtram animam poſitis.

Præter ipſam animæ noſtræ ſubſtantiam, quæ per ſenſum intimum innoteſcit, &

de quâ dicetur in Metaphyſicâ; tres occurrunt in hâc ſubſtantiâ diverſæ modificationis ſpecies, ſcilicet facultates, ſeu potentiæ, actus, & paſſiones.

De facultatibus.

Facultates, ut diximus, ſunt capacitates ad aliquid: & duplicis ſunt generis, activæ & paſſivæ, quarum definitiones traditæ ſunt.

Potentiæ dicunt ordines eſſentiales, ad objecta ſua, nec aliter à nobis definiri poſſunt, quàm per hos ordines; hinc tot agnoſcendæ ſunt potentiæ diverſæ, quot ſunt harum potentiarum objecta diverſa: quoniam igitur infinita ſunt objecta diverſa, circà quæ verſari poteſt anima noſtra, ſive agendo, ſive patiendo, ſicut probabitur; ideò ſunt infinitæ numero in animâ potentiæ, tùm activæ, tùm paſſivæ.

Potentiæ activæ revocari ſolent à Philoſophis, ad quatuor generales, nimirùm intellectum, imaginationem, voluntatem, & appetitum ſenſitivum.

Intellectus, eſt facultas generalis animæ, verſantis circà entia inſenſilia, prout ſunt vera.

Imaginatio, eſt facultas generalis animæ, verſantis circà entia ſenſilia, prout vera.

Voluntas, eſt facultas generalis animæ, verſantis circà entia inſenſilia, prout bona, bonitate relativâ, ſeu prout nobis convenientia.

Appetitus ſenſitivus, eſt facultas generalis animæ, verſantis circà entia ſenſilia, prout nobis bona.

Duplicem tantùm admittemus in animâ noſtrâ generalem agendi facultatem, intellectum ſcilicet, & voluntatem; ita ut intellectus definiendus ſit, facultas generalis animæ, verſantis circà objecta, ut vera, ſive hæc entia ſint inſenſilia, ſive ſint ſenſilia; voluntas verò, facultas generalis animæ, verſantis circà objecta, ut nobis convenientia, ſive pariter ſint inſenſilia, ſive ſint ſenſilia.

Facilè colligi poterit ex dicendis de paſſionibus, ad quot generales revocari poſſint, infinitæ numero potentiæ paſſivæ.

De actibus.

Actus univerſim, eſt exercitium potentiæ activæ; & totuplex eſt, quotuplex eſt agendi facultas activa; undè quia facultates agendi revocatæ fuerunt à Philoſophis ad quatuor generales; ideò quadruplicem admittunt actûs ſpeciem generalem; nempè cognitionem, imaginationem, volitionem, & motum appetitûs

ſenſitivi. Cognitio, eſt actus intellectûs, verſantis circà veritatem objectorum inſenſilium; & ſubdiſtribuitur in apprehenſionem, judicium, diſcurſum, & methodum; de quibus, tanquam de objecto ſuo, tractat Logica.

Imaginatio, ut eſt actus, definitur exercitium facultatis animæ, verſantis circà veritatem objectorum ſenſilium. Ubi notabis facultatem & ejus actum, ob vocum penuriam, eodem nomine donari.

Volitio, eſt exercitium facultatis animæ, verſantis circà bonitatem relativam objectorum inſenſilium; & ſubdiſtribuitur in actum moraliter bonum, & actum moraliter malum.

Motus appetitûs ſenſitivi, eſt exercitium facultatis animæ, verſantis circà bonitatem relativam objectorum ſenſilium.

Nomine cognitionis, ſignificabimus in poſterùm, quemlibet actum intellectûs & imaginationis indiſcriminatim: & nomine volitionis, ſignificabimus quemlibet actum, ſive voluntatis, ſive appetitûs ſenſitivi.

De paſſionibus.

Paſſio latiſſimè hîc accipitur, nempè pro modificationis cujuſlibet receptione. Omnes modificationes in animâ receptæ,

& ab ipsâ minimè productæ, revocari poſſunt ad quatuor claſſes generales, ſcilicet, ad idæas, habitus, ſenſationes, & ſenſus intimos; unde quatuor ſunt generales potentiæ paſſivæ, potentia recipiendarum idæarum, potentia recipiendorum habituum, potentia recipiendarum ſenſationum, & potentia recipiendorum ſenſuum intimorum.

Idææ, ſunt impreſſiones, ſeu paſſiones in animabus noſtris, à Deo productæ, quæ ſunt objectorum extrà nos vel exiſtentium, vel poſſibilium, repræſentationes, & quaſi tabellæ, quibus mediantibus cognoſcere poſſimus illa objecta. Duplex diſtinguitur idæa, formalis & objectiva. Idæa formalis, eſt illa animæ modificatio, quæ eſt repræſentatio; objectiva verò, eſt objectum per idæam formalem repræſentatum.

Naturam, exiſtentiam, cauſas, proprietates, & ſpecies idæarum, examinabimus in Metaphyſicâ; ſufficiat hîc obſervare, 1°. quamlibet idæam formalem, eſſentialiter eſſe conformem objecto, per ipſam repræſentato; unde ſi erremus circà noſtras idæas, error naſcitur tantùm ex eo quòd idæas noſtras referamus ad objecta, quæ per ipſas creduntur repræſentata; & reipsâ non ſunt repræſentata. 2°. Sola at-

Digitized by Google

tributa eſſentialia objectorum per idæas formales repræſentari ; hinc non datur idæa, *hominis docti*, quia doctrina non eſt eſſentialis homini. 3°. Idæas objectivas eſſe, vel totales, vel partiales. Idæa totalis eſt ea, quæ repræſentat partes omnes eſſentiales alicujus totius ; partialis verò, quæ partem tantùm eſſentialem exhibet : verbi gratiâ, idæa Dei totalis eſt ; idæa verò omnipotentiæ divinæ, partialis eſt. 4°. Denique, quæcumque dicturi ſumus de entibus naturalibus, intelligenda eſſe de objectis per idæas noſtras repræſentatis.

Habitus definiri debent, facilitates aliquid producendi ; unde pertinent ad ſolas potentias activas ; & conſequenter, alii ſunt intellectuales, & alii voluntatis.

Habitus intellectuales poſſunt eſſe triplicis generis, error, opinio, & ſcientia ; ita ut ſcientia ſubdiſtribuatur in intelligentiam, ſapientiam, prudentiam, & artem, quarum omnium ſpecierum definitiones traditæ ſunt.

Habitus voluntatis, ſunt facilitates, aut ad bonum, aut ad malum morale : hinc duplicis tantùm ſunt generis, *virtutes & vitia*, de quibus dicetur in Morali.

Habitus tùm intellectûs, tùm voluntatis, ſubdiſtribuuntur in totales & partiales.

Habitus totalis, eſt complexio multorum habituum ſingularium, in aliquâ ratione convenientium, ſeu ſimilium: ſic habitus Logicæ dicitur, *totalis*, quia complectitur omnes habitus apprehendendi, judicandi, diſcurrendi, & ordinandi.

Habitus partialis, eſt ſingularis quædam facilitas; qualis eſt habitus definiendi, conſideratus per ordinem, ad habitum totalem Logicæ.

Senſationes, ſunt impreſſiones occaſione objectorum ſenſilium, in animabus noſtris excitatæ, quæ à nobis referuntur, tùm ad partes organicas noſtri corporis, tùm ad objecta extrà nos poſita, quaſi foret aliquid in his objectis, impreſſionibus illis ſimile; tales ſunt impreſſiones colorum, ſonorum, caloris, frigoris, &c.

Senſus intimi, ſunt impreſſiones, ſeu modificationes in animâ, à Deo productæ; quæ referuntur quidem ad partes organicas noſtri corporis; ſed nihil ſimile refertur ad objecta, extrà nos poſita: tales ſunt impreſſiones doloris, famis, ſitis, &c. Ubi notabis, ea omnia per ſenſum intimum innoteſcere, quæ ſunt animæ noſtræ modificationes, ad quas vel mens attendit, vel à quibus immediatè percellitur, quamvis non illa omnia ſint ſenſus intimi: hinc diſcrimen eſt, inter ſenſus

intimos, & ea quæ per ſenſum intimum conſtant.

De entibus extrà nos poſitis.

Entia extrà nos poſita, generatim loquendo, ſunt ſubſtantiæ & modificationes, quarum definitiones & diſtributiones traditæ ſunt, in quæſtione, quotuplex ſit ens; ſupereſt igitur, ut varias ſubſtantiarum & modificationum partes indicemus. Ex his autem partibus, aliæ ſunt relativæ; aliæ verò abſolutæ. Partes relativæ dicuntur illæ, per quas tota referuntur ad alia tota: ſic *paternitas* & *filiatio* ſunt partes relativæ; quia per paternitatem homo refertur ad filium, & per filiationem homo refertur ad patrem. Partes abſolutæ vocantur illæ, per quas tota nullatenùs referuntur ad alia tota; quales ſunt, *unitas*, *æternitas*, &c. Quamobrem agemus 1°. de relationibus univerſim. 2°. de præcipuis entium partibus relativis. 3°. de præcipuis entium partibus abſolutis.

De relationibus.

Relatio univerſim, eſt ordo unius, ad aliud: ſic *paternitas*, eſt relatio; quia eſt ordo patris, ad liberos.

Circà relationem tria ſunt conſideran-

da, ſubjectum, terminus, & fundamentum.

Subjectum relationis, eſt illud totum quod recipit relationem, ſeu quod refertur ad aliud: ſic Pater eſt ſubjectum paternitatis, & Filius eſt ſubjectum filiationis.

Terminus relationis, eſt illud ens, ad quod ſubjectum refertur: ſic Filius eſt terminus paternitatis, & Pater eſt terminus filiationis.

Fundamentum relationis, eſt ratio, propter quam unum refertur ad aliud: ſic *receptio exiſtentiæ*, eſt fundamentum dependentiæ rerum creatarum; quia eſt ratio, propter quam res creatæ pendent à Deo.

Fundamentum relationis duplex eſt, remotum & proximum. Remotum, eſt potentia, vel activa, vel paſſiva, ob quam unum refertur, aut referri poteſt ad alterum; proximum verò, eſt, vel actio, vel paſſio, ſeu receptio, propter quam unum refertur ad aliud.

Relatio duplex eſt, eſſentialis & contingens. Relatio eſſentialis, eſt ordo, ſine quo, ſubjectum nec eſſe, nec concipi poteſt: ſic relatio potentiæ activæ, ad objectum ſuum, eſt eſſentialis: quia potentia activa nec eſſe, nec concipi poteſt

ſine ordine, ad ſuum objectum. Relatio contingens, eſt ordo, ſine quo, ſubjectum & eſſe, & concipi poteſt: ſic paternitas in homine, eſt relatio contingens; quia homo & eſſe, & concipi poteſt, ſine paternitate.

In relationibus eſſentialibus, quærenda non ſunt fundamenta: quia, cùm ſubjecta neceſſariò, ſeu ex naturâ ſuâ, ſint relativa, quærenda non eſt ratio, cur ſint talia; at in relationibus contingentibus, quærenda ſunt illa fundamenta: cùm enim ſubjecta ſint indifferentia, ut habeant, aut non habeant relationes; inquirendum eſt, per quid determinentur, ut eas habeant.

De præcipuis entium partibus relativis.

Præcipuæ partes entium relativæ, hæ ſunt, diſtinctio, ſimilitudo, diverſitas, univerſalitas, ſeparabilitas, diviſio, veritas, prioritas, poſterioritas, & ſimultaneitas.

De diſtinctione.

Diſtinctio, eſt modificatio, ens aliquod determinatum ita conſtituens, ut per eam ſecernatur ab alioquovis: & triplex eſt, *realis*, *modalis*, & *formalis*.

Diſtinctio realis, eſt ea, quæ occurrit

inter rem & rem, ſeu inter ſubſtantiam & ſubſtantiam; qualis eſt inter animam & corpus.

Diſtinctio modalis, eſt ea, quæ reperitur ſubſtantiam inter & modificationem, qualis eſt, animam inter & ſcientiam.

Diſtinctio formalis, eſt ea, quæ occurrit inter duas modificationes; qualis eſt, ſcientiam inter & virtutem.

De ſimilitudine & diverſitate.

Similitudo entium, eſt eorum convenientia in attributis, ſeu partibus componentibus; diverſitas autem, eſt eorum diſcrepantia, in illis attributis.

Similitudo duplex eſt, eſſentialis, & contingens. Smilitudo eſſentialis, eſt entium convenientia in attributis eſſentialibus: & duplex ſubdiſtinguitur, *generica* & *ſpecifica*: generica, eſt convenientia in attributis genericis, ſeu communibus; ſpecifica verò, eſt convenientia in attributis propriis, quæ vocantur ſpecifica. Similitudo contingens eſt entium convenientia in attributis contingentibus; ſic duo homines docti, ſimiles ſunt contingenter, quatenùs conveniunt in doctrinâ, quæ eſt ipſis contingens.

Ex oppoſito, diverſitas duplex eſt, eſſentialis & contingens; ita ut eſſentialis ſub-

diſtribui poſſit in *genericam* & *ſpecificam*. Notandum autem eſt, vocem hanc *idem*, æquivocatione laborare : modò namque ſignificat, *ſimile*, ut ubi dicitur unus nummus aureus, *idem* eſt cum alio nummo aureo; modò ſignificat, quid indiſtinctum, ut ubi dixitur, Alexander magnus, & filius Philippi, Regis Macedonum, ſunt *idem* homo; hinc identitas ſumitur modò pro ſimilitudine, modò pro indiſtinctione.

De univerſalitate.

Univerſale, eſt unum dicens ordinem, ad multa : & quintuplex diſtinguitur, in *cauſando*, in *ſignificando*, in *repræſentando*, in *eſſendo*, & in *prædicando*.

Univerſale in cauſando, eſt una cauſa, multos producens effectus : ſic Deus eſt univerſalis in cauſando, quia multos produxit effectus, ad quos varios dicit ordines.

Univerſale in ſignificando, eſt unum multa ſignificans : ſic campanæ ſonus, dici poteſt univerſalis in ſignificando.

Univerſale in repræſentando, eſt unum multa repræſentans : ſic quælibet idæa, dici poteſt univerſalis in repræſentando, quia varias objecti ſui partes eſſentiales repræſentat.

Univerſale in eſſendo, eſt una natura

apta multis ineſſe univocè, ſeu ſecundùm eandem vocis ſignificationem; & duplex eſt, increatum, & creatum.

Univerſale in eſſendo increatum, eſt natura apta multis ineſſe univocè, & indiviſim, ſeu ſine ſui multiplicatione: talis eſt ſola natura Divina, quæ apta eſt ineſſe tribus perſonis Divinis, abſque ſui multiplicatione.

Univerſale in eſſendo creatum, eſt una natura apta multis ineſſe univocè, & diviſim, ſeu cum ſui multiplicatione: tales ſunt, natura humana, natura corporea, &c.

Univerſale in prædicando, eſt unum aptum prædicari de multis univocè: & duplex pariter diſtinguitur, increatum & creatum. Increatum, eſt unum aptum prædicari de multis univocè & indiviſim: qualia ſunt hæc attributa *omnipotens*, *ſummè intelligens*, &c. Creatum autem, eſt unum aptum prædicari de multis univocè, & diviſim: qualia ſunt hæc prædicata, *homo*, *corpus*, &c.

Hoc autem eſt diſcrimen inter univerſale in eſſendo, & univerſale in prædicando, quòd illud exprimatur termino abſtracto, hoc eſt, voce ſolam modificationem ſignificante; hoc verò, termino concreto, ſeu voce ſignificante ſubjectum, ſimul & formam. Sic *ſpiritualitas*, eſt univerſalis in

eſſendo; *ſpiritus* autem, eſt univerſalis in prædicando.

Ubi notabis univerſale in eſſendo, vocari *Methaphiſicum*, ex eo quòd Methaphiſicæ ſit, examinare naturas, quæ multis inſunt; univerſale autem in prædicando, vocari *Logicum*, ex eo quòd Logicæ ſit, examinare prædicata.

Univerſalia, tùm in eſſendo, tùm in prædicando, diſtribui ſolent, in *genus*, *differentiam*, *ſpeciem*, *proprium* & *accidens*, de quibus ſingulis eſt dicendum.

De Genere.

Genus eſt unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè, tanquam pars communior eorum eſſentiæ communis: ſic *ſpiritualitas*, eſt genus in eſſendo; & *ſpiritus*, eſt genus in prædicando.

Genus diſtribuitur, 1°. in ſupremum, ſubalternum, & infimum: 2°. in remotum, & proximum.

Genus ſupremum, eſt illud quod convenit omnibus, & proindè, quo nihil eſt univerſalius: tale eſt in rei veritate, *ens*: genus ſupremum vocatur à nonnullis, modò *tranſcendens*, modò *tranſcendentale*.

Genus ſubalternum dicitur, quod & ſuprà, & infrà ſe habet alia genera, hoc eſt, quo datur genus aliud univerſalius, &

aliud minùs univerſale: ſic, *ſubſtantia*, eſt genus ſubalternum: quia datur aliud genus univerſalius, nempè *ens*; & aliud minùs univerſale, nempè *ſpiritus*.

Ubi notabis ea omnia vocari *ſuperiora*, quæ ſunt generaliora, ſeu pluribus totis diverſis conveniunt; ea verò dici *inferiora*, quæ ſunt minùs generalia.

Genus infimum, dicitur illlud, quod habet ſuprà ſe genus; ſed non habet infrà: ſic ubi *ſubſtantia* prædicatur de corpore, dici debet ipſius genus infimum: quia tunc nullum habet aliud genus infrà ſe.

Genus remotum, dicitur illud, quod prædicatur de aliquo ſuo inferiore, mediatè, ſeu mediante alio genere minùs univerſali: ſic *ſubſtantia*, eſt genus remotum, reſpectu Dei, quia prædicatur de Deo, mediante *ſpiritu*.

Genus proximum, dicitur illud, quod prædicatur de aliquo ſuo inferiore, immediatè, ſeu nullo alio mediante genere: ſic *ſubſtantia*, eſt genus proximum corporis.

In genere quovis occurrunt attributa, ſeu partes, quorum alia dicuntur, *extenſiva*; alia verò *intenſiva*. Attributa extenſiva: ſunt ea, quæ pertinent ad ejus univerſalitatem; intenſiva verò, quæ pertinent ad ejus eſſentiam: verbi gratiâ, in *ſubſtan-*

tuâ, hæc ſunt attributa extenſiva, quòd magis pateat, quàm quodlibet ejus inferiùs; quod abſtrahat à ſuis inferioribus, &c. Hæc autem ipſius ſunt attributa intenſiva, quòd ſit poſſibilis, quòd non requirat ſubjectum, cui inhæreat, &c.

Notandum igitur eſt, genus quodlibet *abſtrahere* ab omnibus ſuis inferioribus. Unum autem, dicitur *abſtrahens* ab alio; ſeu, ut aiunt nonnulli, *præſcindens* ab alio, quando & eſt inſeparabile ab ipſo, nec includit in idæâ ſuâ id, à quo dicitur abſtrahens. Hinc 1°. Homo dici non poteſt præſcindens à ſcientiâ; quia non eſt inſeparabilis à ſcientiâ. Hinc 2°. Deus non abſtrahit ab omnipotentiâ; quia includit in idæâ ſuâ omnipotentiam. Hinc 3°. *ſpiritus*, prout eſt genus Dei, præſcindit à neceſſitate exiſtendi: tùm quia prout eſt genus Dei, eſt inſeparabilis à neceſſitate exiſtendi: tùm quia non includit in idæâ ſuâ, neceſſitatem exiſtendi.

De Differentiâ.

Differentia, eſt unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè, tamquam pars ſtrictior, ſeu magis propria eorum eſſentiæ communis.

Differentia diſtribuitur: 1°. in genericam, & ſpecificam: 2°. in poſitivam, &

negativam: 3°. in eſſentialem, & contingentem.

Differentia generica, eſt attributum multis quidem entibus diverſis commune, ſed per quod hæc entia diſcrepant à quibuſdam aliis: ſic ſpiritualitas, eſt differentia generica; quia communis quidem eſt multis entibus diverſis, ſcilicet Deo, Angelis & animæ rationali; ſed tamen hæc entia per ipſam diſcrepant à corporibus.

Differentia ſpecifica, eſt attributum, quod convenit, vel ſoli cuidam enti, vel multis entibus ſimilibus; ita ut hæc entia, per attributum hoc diſcrepent à cæteris entibus diverſis; & ita ut hoc attributum ſit, velut fons & radix omnium proprietatum eorum entium, quibus convenit: ſic neceſſitas exiſtendi, eſt differentia ſpecifica Dei: & quia per ipſam, Deus diſcrepat ab omnibus entibus, extrà ipſum poſitis; & quia neceſſitas exiſtendi, eſt veluti fons & radix omnium Dei proprietatum.

Notandum autem eſt, differentiam genericam vocari à Philoſophis, *ſuperiorem*; differentiam autem ſpecificam, vocari *inferiorem*.

Differentia poſitiva, eſt modificatio, per quam ipſius ſubjectum differt ab alio ſubjecto, ſive modificatio illa ſit eſſentialis,

tialis, ſive ſit contingens: ſic doctrina, eſt differentia poſitiva, per quam quidam homines differunt ab ignaris.

Differentia negativa, eſt abſentia modificationis, ob quam unum ſubjectum diſcrepat ab alio: ſic ignorantia, ſeu abſentia ſcientiæ, vocatur differentia negativa, quia per hanc abſentiam homines ignari differunt à doctis.

Differentia eſſentialis, eſt modificatio, ſine quâ, ſubjectum nec eſſe, nec concipi poteſt, & per quam hoc ſubjectum differt ab alio quovis: hæc differentia vocatur ſpecifica, ſi ſit fons & radix omnium ſubjecti proprietatum; & tunc eſt ſecundùm univerſale, in eſſendo & in prædicando.

Differentia contingens, eſt modificatio, ſine quâ ſubjectum & eſſe, & concipi poteſt; per quam tamen, dum adeſt, ſubjectum differt ab alio: ſic virtus, eſt differentia contingens hominis, in quo reperitur; quia homo poteſt concipi ſine virtute, & tamen per ipſam differt ab impio.

De ſpecie.

Species, eſt unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè, tanquam tota communis eorum eſſentia; hinc nihil aliud eſt, quàm complexio generis proximi, & differentiæ ſpecificæ.

Digitized by Google

Species diſtribuitur, 1°. in ſubalternam, & infimam. 2°. In ſpecies propriè dictas, & ſpecies impropriè dictas.

Species ſubalterna, vocatur ea, quæ ſub uno reſpectu, ſpecies eſt, & ſub altero, genus; hoc eſt, quæ per ordinem ad ſuperiora ſpecies eſt, & per ordinem ad inferiora genus eſt: ſic *ſubſtantia*, vocatur ſpecies, reſpectu entis; & genus eſt, reſpectu ſpirituum & corporum.

Species infima, dicitur ea, quæ nunquam poteſt eſſe genus: ſic *circulus*, eſt ſpecies infima, quia non poſſunt eſſe diverſæ ſpecies circuli.

Species propriè dictæ, ſunt illæ, quæ non poſſunt fieri ſimiles; ex eo nempè quòd habeant differentias ſibi eſſentiales: ſic *ſpiritus* & *corpus*, ſunt ſpecies propriè dictæ, quia non poſſunt fieri entia ſimilia.

Species impropriè dictæ, quæ poſſunt fieri ſimiles: ſic *aurum & ferrum*, ſunt ſpecies impropriè dictæ, quia fieri poſſunt corpora ſimilia; ſicut conſtabit ex dicendis in Phyſicâ.

De proprio.

Proprium, eſt unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè, tanquam attributum fluens à differentiâ ſpecificâ: ſic *omnipotentia*, eſt Dei proprie-

tas; quia poteſt ineſſe, & reipsâ ineſt tribus perſonis Divinis, tanquam attributum fluens à differentiâ Dei ſpecificâ, ſeu à neceſſitate exiſtendi. Unum autem dicitur ab alio *fluere*, quando ex ipſo, tanquam ex antecedente, poteſt inferri, per modum conſequentis.

Proprietas diſtribuitur in primariam & ſecundariam, quarum definitiones traditæ ſunt. Rursùs diſtribui poteſt in genericam, quæ fluit à differentiâ generis; & ſpecificam, quæ fluit à differentiâ ſpeciei.

Proprium, quatuor modis accipitur à Peripateticis. Primo modo, pro eo quod convenit ſoli alicui ſpeciei, ſed non omnibus ejus individuis, ſeu ſingularibus, ut, *eſſe Philoſophum*, reſpectu hominis. Secundo modo, pro eo quod convenit omnibus individuis alicujus ſpeciei, ſed non ſoli huic ſpeciei: ut, *eſſe bipes*, reſpectu hominis; aves namque ſunt etiam *bipedes*. Tertio modo, pro eo quod convenit ſoli alicui ſpeciei, omnibuſque ejus individuis, ſed non ſemper: ut, *caneſcere præ ſenectute*, reſpectu hominis. Quarto modo, pro eo, quod convenit ſoli alicui ſpeciei, ſinguliſque ejus individuis, & ſemper: ut, *eſſe riſivum*, reſpectu hominis.

Hæc omnia parùm accuratè dicta ſunt à Peripateticis, ut conſtare debet, ex eo

Digitized by Google

quòd exempla deſumant à modificationibus contingentibus. Hinc ſolum proprium, prout fuit à nobis definitum, admitti debet, ut quartum univerſale, in eſſendo & in prædicando.

De accidente.

Accidens, eſt vox æquivoca: accipitur enim, modò pro qualibet modificatione, ſive eſſentiali, ſive contingente; modò, pro ſolâ modificatione contingente: hoc poſtremo ſenſu, eſt quintum univerſale, & definiri debet, unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè, tanquam attributum ipſis contingens.

Acccidens, ut quintum univerſale diſtribui poteſt in commune, & proprium. Commune, dicitur illud, quod multis ſpecie diverſis convenit: ſic *exiſtentia*, eſt accidens commune, reſpectu omnium entium contingentium: accidens proprium vocatur illud, quod ſoli alicui ſpeciei convenit.

Accidens à nonnullis rurſùs diſtribuitur in metaphyſicum & phyſicum. Accidens metaphyſicum vocant illud, quod ne divinitùs quidem exiſtere poteſt, ſine ſubjecto: ut *ſcientia, virtus*, &c. Accidens phyſicum dicunt illud, quod ſaltem divinitùs, ſeu per miraculum, exiſtere poteſt,

ſine ſubjecto: ſic, inquiunt, factâ conſecratione panis & vini, in myſterio altaris, remanent harum ſubſtantiarum accidentia.

Oſtendemus in Phyſicâ generali, nullam eſſe neceſſitatem admittendorum accidentium phyſicorum.

APPENDIX

De individuo.

Individuum conſideratur, tanquam aliquid oppoſitum univerſali; hinc poſtquam dictum fuit de univerſalibus, agendum eſt de individuo.

Individuum duobus modis accipitur. 1°. Pro eo, quod multis eſt incommunicabile; & hoc ſenſu, opponitur univerſali. 2°. Pro eo omni, quod eſt immultiplicabile, ſive multis ſit incommunicabile, ſive ſit multis communicabile.

Individuum, priore modo ſumptum, duplex à Philoſophis diſtinguitur, *materiale* & *formale.*

Individuum, materialiter ſumptum, eſt illud ipſum, quod multis eſt incommunicabile; & rurſùs duobus modis accipitur; *primò-intentionaliter*, & *ſecundò-intentionaliter*. Primò-intentionaliter ſumitur, quando conſideratur, prout habens

Digitized by Google

hanc numero individuationem, ſeu ſingularitatem; accipitur autem ſecundò-intentionaliter, quando ſumitur, prout habens individuationem univerſim.

Individuum, formaliter ſumptum, eſt ipſa individuatio, ſeu ſingularitas, quæ eſt forma individui conſtitutiva; & duobus etiam modis accipitur: *primò-intentionaliter*, quando agitur de hâc numero individuatione; *ſecundò-intentionaliter* autem, quando agitur de individuatione, generatim ſumptâ.

Notandum autem eſt, *individuationem*, *attributa ſpecifica*, & *attributa generica*, vocari à Philoſophis, *gradus metaphyſicos*. Ideò autem vocantur gradus, quia à minùs generalibus, ad generaliora, quaſi per gradus aſcenditur: & ideò vocantur *metaphyſici*, quia cùm ſint attributa eſſentialia & inſenſilia, pertinent ad Metaphyſicam.

De ſeparabilitate & diviſione.

Unum dicitur ab alio ſeparabile, quando poteſt, ſine ipſo, exiſtere, aut ſaltem concipi; hinc ſeparabilitas, eſt capacitas in uno ente, ut vel exiſtat, vel ſaltem concipiatur, ſine alio: & duplex eſt impropriè dicta, ſeu minimè reciproca; & propriè dicta, ſeu reciproca.

Digitized by Google

Tunc duo dicuntur ſeparabilia impropriè, & minimè reciprocè, quando unum poteſt quidem exiſtere, vel concipi ſine alio, ſed non vice versâ: ſic homo, ſeparabilis eſt à ſcientiâ, ſeparabilitate impropriâ; quia homo poteſt exiſtere & concipi, ſine ſcientiâ; ſed ſcientia, quæ conjuncta erat cum homine, non poteſt exiſtere, ſine homine: hinc ſeparabilitas, impropriè dicta, reperitur inter ſubſtantiam, & ipſius modificationem contingentem.

Tunc duo dicuntur ſeparabilia propriè & reciprocè, quando hæc entia, anteà conjuncta, poſſunt, ſine ſe, invicem exiſtere & concipi; ſic corpus & anima ſeparabilia ſunt propriè & reciprocè; hinc ad ſeparabilitatem reciprocam prærequiritur, ut entia ſint totidem ſubſtantiæ; & conſequenter ſeparabilitas, propriè dicta, fluit à multitudine ſubſtantiarum, non autem à multitudine partium univerſim, ut vulgò creditur.

Diviſio, generatim ſumpta, definiri debet, totius in partes diſtributio; unde totuplex eſt diviſio, quotuplex eſt totum diverſum: porrò quadruplex diſtingui ſolet totum, eſſentiale, integrale, accidentale, & potentiale.

De diviſione eſſentiali.

Diviſio eſſentialis, eſt totius diſtributio in partes ſuas eſſentiales: & duplex eſt, Phyſica, quæ fit in partes eſſentiales, quæ ſunt ſubſtantiæ; ut ſi dividas hominem in animam & corpus. Metaphyſica, quæ fit in partes eſſentiales, quæ ſunt modificationes, quarum quædam excludunt multitudinem partium ſubſtantialium; ut ſi diſtribuas animam in potentias activas, & potentias paſſivas.

Circà diviſionem eſſentialem, ſequentes ſervandæ ſunt leges.

Prima. Diviſio totius eſſentialis phyſici, ſi agatur de ipſo homine, fieri debet in animam & corpus; ſi autem agatur de corpore, fieri debet in materiam & formas; quia nihil aliud eſt eſſentiale corpori, præter materiam & formas univerſim.

Secunda. Diviſio ſpeciei fieri debet, in genus, differentiam, & proprietates; quia hæc ſolæ partes ſunt eſſentiales ſpeciei.

Tertia. Diviſio individui fieri debet, in genus, differentiam, ſpeciem, proprietates, & gradum numericum; quia partes mox enumeratæ, conveniunt eſſentialiter individuo.

Digitized by Google

Quarta. Genus, differentia, ſpecies, proprium & individuum, ſubdiſtribui poſſunt, prout fuerunt à nobis ſuperiùs ſubdiſtributa.

Quinta. Partitio totius eſſentialis metaphyſici, in omnes & ſingulas partes ſuas eſſentiales, eſt impoſſibilis; quia infinitæ ſunt numero partes eſſentiales, in quolibet toto metaphyſico.

Sexta. Legitima erit partitio totius eſſentialis, in membra, quæ non poterunt de ſe invicem affirmari; quamvis unum membrum includatur in altero; hinc legitima eſt extenſionis partitio, in punctum, lineam, ſuperficiem & ſoliditatem.

De diviſione integrali.

Diviſio integralis, eſt diſtributio totius in partes ſuas integrantes, hoc eſt, in partes, quæ non requiruntur quidem ad eſſentiam totius, ſed ad ejus perfectionem & integritatem: ut ſi dividas Philoſophiam, in Logicam, Metaphyſicam, Matheſim, &c. Circà diviſionem integralem, ſequentes ſervandæ ſunt leges.

Prima. Nulla poteſt eſſe pars integrans Dei, quia nihil contingens prærequiri poteſt, ad perfectionem & integritatem Dei.

Secunda. Diviſio integralis, nunquam

Digitized by Google

poteſt eſſe adæquata; quia infinita ſunt attributa contingentia, quæ perficere poſſunt entia creata.

Tertia. Unum diviſionis integralis membrum contineri non debet in altero; quia pertinet ad ſubdiſtributionem partis continentis.

De diviſione accidentali.

Diviſio acccidentalis, duplex eſt, alia ſcilicet ſubjecti, in ſua accidentia; ut ſi diſtribùas homines, in doctos & ignaros, in pios & impios, &c. alia verò accidentis, in alia ſua accidentia; ut ſi virtutem diſtribuas, in intenſiorem & remiſſiorem, in nobiliorem & ignobiliorem; &c.

Circà diviſionem accidentalem, duæ ſequentes leges ſunt ſervandæ.

Prima. Diſtributio ſubjecti in ſua accidentià, fieri debet in communia, & minimè communia; ita ut eorum fieri non poſſit accurata enumeratio.

Secunda. Diſtributio accidentis, in alia ſua accidentia, fieri pariter debet in communia, & minimè communia.

De diviſione potentiali.

Diviſio potentialis, eſt univerſalis alicujus diſtributio in ſua inferiora; qualis eſt diſtributio *ſubſtantiæ*, in ſpiritum &

Digitized by Google

corpus : hæc diſtributio vocatur à Philoſophis , *cathegorica ;* hinc cathegoricam inſtituere, eſt univerſale, in inferiora ſua diſtribuere.

Circà diſtributionem univerſalium, in inferiora, ſequentes ſervandæ ſunt leges.

Prima. Quodlibet univerſale diſtribui debet, in inferiora immediatè ſibi ſubjecta : tùm hæc inferiora in alia ſibi immediatè ſubjecta ; & ſic conſequenter.

Secunda. Ut accurata ſit univerſalis alicujus diſtributio , deveniendum eſt ad ipſius individua, ſeu ad inferiora, quæ non poſſunt rurſùs ſubdiſtribui.

Tertia. In univerſalis alicujus diſtributione, non aſſignetur pro uno inferiore , aliquid , quod de cæteris inferioribus ſit prædicabile : quia tunc eſſet æquè univerſale, ac ipſum totum potentiale , quod diſtribuitur.

Ideò autem unum univerſale, per ordinem ad ſua inferiora , vocatur *totum potentiale* ; quia dum eſt ſubjectum propoſitionis generalis, & ſumitur univerſaliter , tantùm poteſt , quantùm omnia ipſius inferiora ſimul ſumpta : verbi gratiâ , ſi dicatur, *omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtit ;* hæc propoſitio tantùm poteſt, quantùm poſſunt duæ ſequentes. Omnis ſpiritus per ſe ſubſiſtit... Omne corpus per ſe

Digitized by Google

ſubſiſtit : hinc univerſalis alicujus inferiora, vocari poſſunt, *partes potentiales*, aut *poteſtativæ*.

De veritate.

Veritas univerſim, eſt multorum connexio : & triplex eſt, veritas ſigni, veritas idææ, & veritas entis.

Veritas ſigni, eſt ipſius connexio cum ſignificato; unde hæc veritas eſt, vel arbitraria, vel naturalis, vel eſſentialis.

Veritas idææ, eſt connexio repræſentationis cum repræſentato; unde cùm repræſentatio neceſſariam habeat connexionem cum objecto repræſentato, quælibet idæa eſt eſſentialiter vera.

Veritas entis, eſt connexio, quæ reperitur, tùm inter totum, & partes ipſum componentes; tùm inter partes ipſas componentes : hinc quoniam ex partibus componentibus : aliæ ſunt eſſentiales, & aliæ contingentes; ideò duplex eſt veritas entis, eſſentialis nimirùm, & contingens.

De prioritate, poſterioritate, & ſimultaneitate.

Unum dicitur altero, *prius*, multis modis. 1°. *Duratione*, quando ſcilicet exiſtit antequàm exiſtat alterum : ſic Adamus fuit

duratione prior Abrahamo. 2°. *Naturâ*, ubi nimirùm unum eſt alterius cauſa: ſic Deus eſt naturâ prior decretis ſuis liberis: quia eſt cauſa decretorum ſuorum liberorum. 3°. *Origine*, ubi ſcilicet unum eſt, vel principium, vel fons, & origo alterius, non autem ipſius cauſa: ſic differentia ſpecifica, prior eſt origine proprietatibus: quia fons eſt, & origo proprietatum, non autem earum cauſa: ſic etiam Pater Æternus, eſt prior origine, Verbo Divino; quia eſt principium Verbi Divini, non autem ejus cauſa. 4°. *Ordine*: ſic in oratione, exordium prius eſt narratione. 5°. *Dignitate*: hocque dupliciter, vel ex lege naturali, ut ubi homo dicitur prior Bruto; vel ex lege humanâ, ut ubi nobiles dicuntur priores plebeis. 6°. Denique, *eſſendi conſecutione*, hoc eſt, quando unum generalius eſt altero: ſic *ſubſtantia* dicitur prior *ſpiritu*.

Quot autem modis, unum dicitur altero prius; totidem modis, unum dici poteſt, aut altero poſterius, aut *ſimul* cum ipſo.

De præcipuis entium partibus abſolutis.

Præcipuæ partes entium abſolutæ, ſunt unitas, extentio, intentio, & duratio.

Unitas, ut jam dictum fuit, eſt forma,

ſeu modificatio conſtituens totum, in ratione totius; & duplex eſt, *numerica*, & *ſimilitudinis*. Unitas numerica, ſeu indiſtinctionis, eſt forma totius immultiplicabilis: ſic unitas naturæ divinæ, & unitas Petri, ſunt unitates numericæ: quia natura divina non poteſt eſſe multiplex; & Petrus non poteſt eſſe multiplex homo.

Unitas ſimilitudinis, aut indiverſitatis, eſt forma totius multiplicabilis: ſic unitas naturæ corporeæ, eſt unitas ſimilitudinis; quia natura corporea poteſt eſſe multiplex, ſeu poteſt multiplex eſſe corpus.

Extenſio, eſt multitudo partium, ſimul exiſtentium, & extrà ſe invicem poſitarum. Duplex eſt, indiviſibilis & diviſibilis: extenſio indiviſibilis, eſt ea, quæ pertinet ad ſubſtantiam indiviſibilem; qualis eſt immenſitas divina.

Extenſio diviſibilis, eſt ea, quæ pertinet ad ſubſtantiam diviſibilem; qualis eſt extenſio corporis. Extenſionis generatim ſumptæ, tres ſunt dimenſiones; longitudo, latitudo, & profunditas, de quibus dicetur in Elementis Geometriæ.

Intenſio, eſt multitudo partium ſimul exiſtentium, & intrà ſe invicem poſitarum: ſic intenditur motus, quando novi gradus adduntur prioribus, in eodem numero nobili: ſic etiam intenditur habitus,

quando novæ facilitates adduntur prioribus, jam exiſtentibus.

Duratio, eſt multitudo partium, quæ fluunt aliæ poſt alias; ita ut ſimul exiſtere non poſſint. Triplex eſt, æternitas, æviternitas, & tempus. Æternitas, eſt duratio carens initio; & duplex eſt, neceſſaria, qualis eſt duratio Dei; & contingens, qualis eſt duratio decretorum Dei liberorum. Æviternitas, eſt duratio, quæ habuit quidem initium, ſed finem non eſt habitura; qualis futura eſt animarum noſtrarum duratio. Tempus, eſt duratio habens initium & finem; qualis eſt duratio floris.

De variis ſignis.

Signum, ut diximus, eſt id omne quod, ex impreſſione ſui, excitat in nobis impreſſionem alterius. Signa conſiderata per ordinem, ad objecta ſignificata, triplicis generis diſtingui poſſunt; alia ſcilicet objectorum ipſorum; alia cogitationum noſtrarum; alia denique, & objectorum, & cogitationum noſtrarum manifeſtativa. Signa objectorum manifeſtativa, vel ſunt arbitraria, vel naturalia, vel eſſentialia, quorum definitiones traditæ ſunt.

Signa cogitationum noſtrarum manifeſtativa, vocantur, *geſtus*. Geſtus autem

deſcribi poteſt, motus ſenſilis, vel totius corporis, vel aliquarum tantùm ejus partium, cum intentione aliquid ſignificandi: & duplex eſt, ſimplex & mixtus: ſimplex dicitur, quando non habet vocem adjunctam; mixtus verò, quando vocem habet adjunctam: effectus geſtûs mixti, eſt impreſſiones excitare, per quas ſignificatio vocum modò augetur, modò minuitur, modò penitùs immutatur.

Signa cogitationum & objectorum manifeſtativa, ſunt ſcriptura & voces.

Scriptura, eſt figura ſenſilis & permanens, ad cogitationes & voces ſignificandas excogitata: & duplex eſt, vulgaris & hieroglyphica. Scriptura vulgaris, eſt ea, quâ utuntur homines, dum vel græcè, vel latinè, vel gallicè ſcribunt; ſcriptura hieroglyphica, eſt figura quædam ſenſilis, quæ ex impreſſione ſui, excitat in nobis impreſſionem alterius: ſic Ægyptii pingebant oculum, in extremitate baculi, ut ſupremam Dei intelligentiam ſignificarent. Ad poſtremam hanc ſpeciem, revocari poſſunt caracteres nonnulli, quos adhibent Algebriſtæ, Aſtronomi, & Chymiſtæ.

Voces, ſeu termini, ſunt ſigna arbitraria, quibus utuntur homines, ut & ſuas cogitationes & entia quævis ſignificent.

Digitized by Google

Duo autem conſiderari ſolent à Philoſophis circà terminos, nimirùm eorum diſtributiones, & eorum affectiones, de quibus eſt dicendum.

De terminorum diſtributionibus.

Primò, diſtribuuntur in *poſitivos* & *negativos*. Poſitivi dicuntur illi, qui ſignificant, aut ſubſtantias, aut modificationes: ut *homo*, *juſtitia*, &c. Termini negativi vocantur illi, qui ſignificant abſentias, aut ſubſtantiarum, aut modificationum: ut *non homo*, *non juſtititia*, &c. Uſus autem invaluit apud Philoſophos, ut termini qui ſignificarent abſentiam cujuſvis entis, cum præfixâ particulâ, *non*, vocarentur *infinitantes*; qui verò ſignificarent abſentiam modificationis, dicerentur, modò *privativi*, modò *negativi*: privativi, ſi agatur de ſubjecto, ad formam illam recipiendam idoneo; *negativi* verò, ſi agatur de ſubjecto, ad formam illam recipiendam inepto: verbi gratiâ, *cæcitas*, vocatur terminus privativus, reſpectu hominis; & *negativus*, reſpectu lapidis.

2°. Diſtribuuntur in *concretos* & *abſtractos*. Concreti, ſunt illi, qui ſignificant ſubjectum ſimul, & formam; ut *juſtus*, *æternus*; ſenſus enim eſt, *ens habens juſtitiam*, *ens habens æternitatem*. Abſtracti,

Digitized by Google

ſunt illi, qui ſolas formas ſignificant, ut *juſtitia*, *æternitas*, &c.

3°. Diſtribuuntur in *abſolutos* & *relativos*. Abſoluti, ſunt illi, qui ſignificant entia, nec ſignificant eorum relationes; ut *homo*, *lapis*, &c. Relativi, ſunt illi, qui ſignificant entia, prout dicunt ordines ad alia: ut *Dominus*, *ſervus*, &c.

4°. In *univocos* & *æquivocos*. Univoci, ſunt illi, quorum ſignificatio ſemper eſt eadem: ut *circulus*, *triangulus*, &c. Æquivoci, ſunt illi, quorum ſignificatio non ſemper eſt eadem: ſic vox iſta, *idem*, eſt æquivoca; ſignificat enim, modò *indiſtinctum*, modò *ſimile*.

5°. In *denominantes*, *denominativos* & *denominatos*. Denominantes, dicuntur illi, qui ſignificant modificationes, à quibus ſubjecta denominantur, ut *juſtitia*, *bonitas*, &c. Denominativi, ſunt illi, qui ſignificant ſubjectum vagum, ſeu indeterminatum, cum formâ determinatâ: ut *juſtus*, *bonus*, &c. Denominati, ſunt illi, qui ſignificant ſubjecta, quibus tribuuntur denominativi, ut *Deus*, qui denominatur *juſtus*, *bonus*.

Denominatio autem, duplex diſtinguitur, intrinſeca & extrinſeca. Intrinſeca denominatio, dicitur ea, quæ deſumitur à formâ inhærente, ſubjecto denominato:

Digitized by Google

ut ubi Deus dicitur *æternus*. Denominatio extrinſeca, dicitur ea, quæ deſumitur à modificatione, quæ eſt extrà ſubjectum denominatum : ut ubi corpus dicitur *cognitum*.

6°. In *connexos* & *oppoſitos*. Connexi, vocantur illi, qui ſignificant entia, quorum unum inferri poteſt ex alio : ſic hi termini, *ſpiritus*, *ſubſtantia*, vocantur connexi; quia ex eo quòd aliquod ſingulare ſit *ſpiritus*, rectè ſequitur ipſum eſſe *ſubſtantiam*. Termini oppoſiti, dicuntur illi, qui ſignificant entia inter ſe oppoſita : ut *extenſio diviſibilis*, & *extenſio indiviſibilis*. Termini connexi ſubdiſtribuuntur à Philoſophis, in *convertibiles* & *inconvertibiles*. Convertibiles, dicuntur illi, qui ſignificant entia, quæ de ſe poſſunt mutuò affirmari; inconvertibiles verò, qui ſignificant entia, quorum unum poteſt quidem affirmari de altero, ſed non vice verſâ. Oſtendemus in concertationibus, circà judicium, nullos eſſe terminos convertibiles; hinc non valet allata ſubdiſtributio.

Termini oppoſiti duplicis generis diſtinguuntur, *diſparatè* & *propriè* oppoſiti. Diſparatè oppoſiti, dicuntur illi, qui ſignificant entia, inter ſe ſic oppoſita, ut ſimili modo quibuſdam aliis opponantur :

quales ſunt hi termini, *albedo*, *rubor*. Propriè oppoſiti, ſunt illi, qui ſignificant entia, inter ſe ſic oppoſita, ut nullis aliis ſimiliter opponantur: & rurſùs quadruplicis generis vulgò ſubdiſtinguuntur, *contradictorii*, *contrarii*, *privativi*, & *relativi*. Contradictorii, quorum unus ſignificat aliquod ens, & alter ejus abſentiam: ut *homo*, *non homo*. Contrarii, qui ſignificant modificationes inſociabiles, vel in eodem ſubjecto, *quod*; vel in eodem ſubjecto, *quo*: ut *neceſſitas exiſtendi*, & *contingentia exiſtendi*. Privativi, quorum unus ſignificat formam, & alter formæ hujus abſentiam, in ſubjecto ad eam recipiendam idoneo: ut *viſio* & *cæcitas*, reſpectu hominis. Relativi, qui ſignificant entia, mutuum ordinem ad ſe invicem dicentia, ut *Pater* & *Filius*.

7°. Denique, termini diſtribuuntur in *ſimplices* & *complexos*. Simplices, dicuntur illi, qui ſignificant entia, ſine ullâ additione: ut *Deus*, *homo*, &c. Complexi verò, qui ſignificant entia, cum additione quâdam partis, vel eſſentialis, vel contingentis: ut *Deus omnipotens*, *homo pius*, &c.

De terminorum affectionibus.

Septem numerantur terminorum affec-

tiones, ſcilicet *ſuppoſitio*, *ſtatus*, *ampliatio*, *diſtractio*, *reſtrictio*, *alienatio*, & *appellatio*.

Suppoſitio termini, eſt ejus acceptio, vel pro ſeipſo, vel pro ſignificato; unde duplex diſtinguitur, *materialis* & *formalis*. Suppoſitio materialis, eſt acceptio termini, prout eſt ſonus dearticulatus: ut ubi dicitur, *rex*, eſt vox monoſyllaba: ſuppoſitio formalis, eſt acceptio termini pro ſignificato; ut ubi dicitur, *Rex* profligavit hoſtes.

Status termini, eſt ejus acceptio, pro tempore per propoſitionem aliquam ſignificato; ut ubi dicitur, *ſedens* diſputat.

Ampliatio termini, eſt ejus acceptio, pro tempore quovis, ſive præſenti, ſive præterito, ſive futuro; ut ubi dicitur, *totum majus eſt ſuâ parte*.

Diſtractio termini, eſt ejus acceptio, pro alio tempore, quàm pro eo, quod ſignificatur per aliquam propoſitionem: ubi dicitur in Scripturâ Sacrâ, *cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant*: hi namque termini, *cæci*, *ſurdi*, *claudi*, ſunt accipiendi pro tempore præterito; non autem pro tempore præſenti, per propoſitiones illas ſignificato; ſenſus enim eſt, qui fuerunt cæci, nunc vident; qui fuerunt ſurdi, nunc audiunt; qui fuerunt claudi, nunc ambulant.

Reſtrictio termini, eſt termini univerſalis acceptio, pro aliquâ tantùm parte ſuorum inferiorum: ut ubi dicitur, *ſubſtantia corporea:* terminus enim, *ſubſtantantia*, ſumitur pro quibuſdam tantùm ſuis inferioribus.

Alienatio termini, eſt ipſius tranſlatio, à propriâ ſignificatione, ad impropriam, ſeu, ut aiunt, metaphoricam: ut ubi dicitur, amor eſt animæ *motus.*

Appellatio termini, eſt applicatio ſignificationis ejus, ſuprà ſignificationem alterius: & duplex eſt, *materialis & formalis.* Appellatio materialis, eſt applicatio ſignificationis unius termini, ſuprà ſubjectum alterius termini: ut ubi dicitur, hic Pictor, eſt Muſicus; denominatio namque *Muſici*, cadit in ſubjectum artis pictoriæ, non autem in ipſam artem pictoriam. Appellatio formalis, eſt applicatio ſignificationis unius termini, ſuprà formam alterius; ut ubi dicitur, hic Muſicus eſt peritus; denominatio namque periti, cadit in ſubjectum, quatenùs habet muſicam.

Regulæ circà entia intrà nos poſita.

Prima.

Potentiæ ſpecificantur ab objectis, hoc

eſt, tot ſunt potentiæ, vel ſimiles, vel diverſæ, quot ſunt objecta ſimilia, vel diverſa, circà quæ verſari poteſt anima, ſive agendo, ſive patiendo, ſeu recipiendo: idem dicendum eſt, de habitibus & actibus. Ratio eſt, quia potentiæ habitûs & actûs, non poſſunt à nobis aliter definiri, quàm per ordines ad objecta ſua; ita ut ordines illi ſint, velut eorum gradus ſpecifici.

Secunda.

Ut aliqua noſtra potentia dicatur *activa*, duo requiruntur. Primum, ut effectus per ſenſum intimum innoteſcat, adeòque ſit animæ noſtræ modificatio: probabitur enim alibi, animam noſtram agere non poſſe, ut aiunt, ad extrà, ſeu producere non poſſe effectum, extrà ſe poſitum. Secundum, ut effectus deſinat exiſtere, ſtatim atque non ampliùs ad ipſum attendit anima: oſtendetur enim in Metaphyſicâ, effectum deſinere exiſtere, ſtatim atque cauſa deſinit exiſtentiam ipſi tribuere.

Tertia.

Illæ ſolæ modificationes animæ, per ſenſum intimum innoteſcunt; vel quas anima producit; vel ad quas convertitur; vel

à quibus vividè percellitur. Hinc 1°. Omnes actus animæ, per ſenſum intimum ipſi innoteſcunt, quia anima noſtra modificationem aliquam producere non poteſt, quin ad eam attendat. Hinc 2°. Habitus non ſemper innoteſcunt per ſenſum intimum; quia nec ſemper ad eos attendit anima, nec ab ipſis vividè percellitur. Hinc 3°. Idææ non ſemper innoteſcunt per ſenſum intimum; quia nec ſemper ad eas attendit anima, nec ab ipſis ſemper vividè percellitur. Hinc denique, nec omnes ſenſus intimi, nec omnes ſenſationes, per ſenſum intimum innoteſcunt; quia ſæpè contingit, ut anima noſtra multis ſimul ſenſibus intimis, multiſque ſimul ſenſationibus afficiatur: hoc autem in caſu, ſoli ſenſus intimi vividiores, ſolæque ſenſationes vehementiores, attentionem animæ velut in ſe convertunt, & ad ſe quaſi rapiunt.

Quarta.

Nullus habitus intenditur, ſeu creſcit, niſi exerceantur actus ſimiles iis, quorum occaſione fuit primùm productus: quia ſecundùm leges ordinarias, ſoli actus ſunt cauſæ occaſionales habituum, aut productorum, aut auctorum: pariter nullus habitus remittitur, aut fit debilior, niſi exerceantur

Digitized by Google

exerceantur actus oppoſiti iis, quorum occaſione fuit comparatus; ſicut intelligetur ex dicendis in Morali.

Regulæ circà entia extrà nos poſita.

Prima.

Per ſolas idæas philoſophicè certi ſumus, de *identitate*, *ſimilitudine*, *diverſitate*, *ſeparabilitate*, aut *inſeparabilitate* entium, ut in ſe ſunt; ſicut probabitur in Concertationibus.

Secunda.

Quæcumque ſunt diverſa, eo ipſo ſunt multa: diverſitas enim importat in idæâ ſuâ multitudinem.

Tertia.

Quæcumque ſunt, vel ſimilia, vel diverſa; non idcircò ſunt à ſe invicem ſeparabilia: tùm quia poſſunt eſſe modificationes eidem ſubſtantiæ eſſentiales: tùm quia, ad ſeparabilitatem propriè dictam, requiritur ſubſtantiarum multiplicitas.

Quarta.

Nullum genus includit in idæâ ſuâ, ſpecies ſibi ſubjectas; quia eſt ſolummodò pars harum ſpecierum; pariter nullum

Digitized by Google

genus includit in idæâ ſuâ, differentias ſpecierum ſuarum conſtitutivas; ſicut probabitur in Concertationibus.

Quinta.

Genus quodlibet includitur, in idæâ cujuſlibet ſpeciei ſibi ſubjectæ; quia eſt pars communior eſſentiæ, ſuarum ſpecierum.

Sexta.

Genus ſupremum, & *modificatio* generatim ſumpta, includuntur, tùm in ſpeciebus ſibi ſubjectis, tùm in differentiis harum ſpecierum conſtitutivis; quia nempè ſunt genera ſpecierum, & differentiarum ſibi ſubjectarum; adeòque ſunt earum partes eſſentiales.

Septima.

Ut aliqua pars eſſentiæ propria, vocari poſſit differentia ſpecifica; tria requiruntur. Primum, ut reipsâ conveniat ei ſpeciei, cui tribuitur; ſecundum, ut ſpeciem cui convenit, ab aliâ quâvis ſecernat: tertium, ut ſit fons, & radix omnium illius ſpeciei proprietatum.

Octava.

Entium eſſentiæ, ſeu naturæ, cognoſci

Digitized by Google

non poſſunt per differentias negativas; quia hæ differentiæ ſunt entium abſentiæ, quæ proindè nullam habent veritatem, ſeu connexionem.

Nona.

Species propriè dictæ, non poſſunt in ſe invicem tranſmutari, ſeu fieri ſimiles; quia eſſentialiter à ſe invicem diſcrepant. At ſpecies impropriè dictæ, poſſunt in ſe invicem tranſmutari; quia contingenter tantùm à ſe invicem differunt.

Regulæ circà ſigna.

Prima.

Ex præſentiâ ſigni arbitrarii, nunquam certò colligitur præſentia ſignificati. Ex præſentiâ ſigni naturalis, certò colligitur, juxtà leges ordinarias, præſentia ſignificati. Ex præſentiâ ſigni eſſentialis, ſemper certò colligitur præſentia ſignificati. Ratio horum omnium deſumenda eſt ex ſignorum illorum naturâ.

Secunda.

Nullus, intrà ſcribendum, utatur vocibus æquivocis, niſi priùs declaraverit, quo ſenſu voces illas ſit accepturus.

Digitized by Google

Tertia.

Si Scriptor aliquis uſurpaverit vocem aliquam, commune quid ſignificantem, & genuinum vocis illius ſenſum aſſequi velis; habenda erit ratio circumſtantiarum omnium, in quibus Scriptor ille fuit conſtitutus: verbi gratiâ, ſi quis ſcripſerit, Principem aliquem fuiſſe *veræ relligionis*, cultorem acerrimum; tunc perpendendum erit, cujuſnam relligionis, regioniſque fuerit ille Scriptor: ſi enim fuerit Lutheranus, per has voces *veræ relligionis*, intellexit Lutheranam; ſi Judæus, Judaicam; ſi Chriſtianus, Chriſtianam.

Quarta.

Qui Scriptoris alicujus opera voluerit evolvere, ad ſequentia potiſſimùm attendat. 1°. Qualis fuerit Scriptoris ſcopus, & in quorum gratiam prodiderit ſcriptum: detegantur, ſi fieri poteſt, Scriptoris patria, relligio, & ſæculum: horum enim notitia plerumque confert ad operis intelligentiam. 2°. Diligenter perpendatur vocum ſignificatio, an ſcilicet propria ſit, an metaphorica, an popularis, an ſcientifica. 3°. Levis error, gravi diſſertatione non explodatur. 4°. Obſcura exponantur per antecedentia & conſequentia; ita ut in

dubiis, benignior ſenſus eligatur. 5°. Denique, ſi agatur de opere ſcientifico; poſt iteratam lectionem, & maturam attentionem, fiat illius compendium.

Quinta.

Qui ſcriptis publicis quidpiam mandare deſiderat, ad ſequentia præſertim attendat. 1°. Subjectam materiem diu verſet animo, ac per varias diſtributiones & ſubdiſtributiones, eam ſub variis reſpectibus intueatur, priuſquàm ad opus ſe accingat. 2°. Brevis præmittatur totius operis quaſi delineatio, ut Lectores Scriptoris intentum ſtatim aſſequantur. 3°. Nihil in lucem prodeat, niſi cæteri homines utilitatem exindè ſint percepturi; hinc ab operibus inutilibus, & à fortiori ab omnibus obſcœnis, & inhoneſtis ſeſe omninò abſtineant Scriptores. 4°. Longioribus digreſſionibus Lectorum mentes ab objecto propoſito, non avertantur: brevitati namque ſimul & perſpicuitati conſulendum eſt. 5°. Importunam ſui jactationem, aliorum contemptum, mordacemque ſimilium operum cenſuram, vitare curet Author; maneatque, ſi redarguat, intrà limites urbanitatis & charitatis; & conſequenter abſtineat ſe à conviciis, vel Pagano indignis. 6°. In optimorum Authorum lec-

Digitized by Google

tione ſit à longo tempore verſatus, ut illud ſcribendi genus eligat, quod propoſito ſuo conveniens ſit, & proportionatum. 7°. Denique opus abſolutum, & omni curâ elaboratum, per annos aliquot ſervet, in arcâ concluſum: poſteà verò, ipſum tanquam ab alio ſcriptum, evolvat, & ſtricto ſubjiciat examini.

CONCERTATIONES circà Apprehenſionem.

HOc ordine procedemus in his Concertationibus.

1°. Differemus de ipsâ apprehenſione. 2°. De ſpeciebus diſtinctionis. 3°. De diverſitatis & ſimilitudinis ſigno. 4°. De univerſalibus in eſſendo, & in prædicando generatim. 5°. De iiſdem univerſalibus ſpeciatim. 6°. De diviſionibus potentialibus, ſeu cathegoriis, tùm generatim, tùm ſpeciatim. 7°. Denique de ſignis.

De apprehenſione.

Circà apprehenſionem duo poſſunt inquiri. 1°. An apprehenſio quælibet ſit ſimplex, an autem complexa? 2°. An appre-

Digitized by Google

henſio quævis ſit ita vera, ut nulla poſſit eſſe falſa. Ut ſolvantur hæ quæſtiones,

Nota, 1°. quamlibet apprehenſionem, ſepectari poſſe, vel ratione ſui, prout eſt actus; vel ratione objecti, ad quod mens attendit: priore modo conſiderata, vocatur *formalis*, poſteriore verò, *objectiva*.

Nota, 2°. apprehenſionem objectivam, ſeu objectum apprehenſionis, duplex diſtingui poſſe, apprehenſum & apprehendendum. Objectum apprehenſum, eſt id ad quod mens reipsâ attendit. Objectum apprehendendum, eſt illud ad quod, in quibuſdam circumſtantiis, deberemus attendere, ad quod tamen non attendimus: verbi gratiâ, ſi dum oculis objicitur auricalcum, apprehendamus aurum; tunc aurum eſt objectum apprehenſum, & auricalcum erat objectum apprehendendum. His notatis ſint,

Concluſio prima.

Quælibet apprehenſio formalis, dici debet ſimplex in ratione actûs. Ille namque actus dici debet ſimplex, in ratione actûs, qui non componitur ex aliis actibus: atqui nulla apprehenſio formalis componitur ex, &c. Si enim componeretur ex, &c. hi alii actus componentes, vel eſſent ipſius genus, vel differentia, vel proprie-

Digitized by Google

tates, vel partes contingentes : atqui nullum horum dici poteſt ; ut per ſe manifeſtum eſt ; ergo, &c.

Concluſio ſecunda.

Objectum quodlibet apprehenſum, dici debet compoſitum. Illud enim dici debet, &c. quod in ſe continet multa entia partialia : atqui quodlibet objectum continet in ſe... Quidquid enim continet genus differentiam & proprietates, continet in ſe multa entia partialia : atqui quodlibet objectum continet in ſe, &c. quandoquidem repugnat objectum carens eſſentiâ, ſeu partibus eſſentialibus ; proindèque, &c.

Et certè quodlibet objectum apprehenſum, eſt ens, ſeu poſſibile : porrò poſſibile dici debet compoſitum. Quidquid enim habet partes ſociabiles, dici debet compoſitum : atqui poſſibile habet partes ſociabiles, ut conſtat ex ejus definitione, ab omnibus receptâ ; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Illud dici debet ſimplex, quod eſt unicum ens : atqui multiplex objectum, eſt unicum ens ; ergo, &c.

Nego majorem. Quod enim eſt unicum ens, ſeu quod eſt immultiplicabile, ſuam

nihilominùs habet eſſentiam : at quidquid habet eſſentiam, dici non poteſt ſimplex, quandoquidem conſtat ex genere & differentiâ; proindèque quod eſt unicum ens, non idcircò ſimplex eſt.

Inſtabis. 1°. Ex concluſione præcedenti quælibet apprehenſio formalis, ſimplex eſt; ergo quædam entia, ratione ſui, ſunt ſimplicia.

Diſtinguo antecedens. Quælibet apprehenſio formalis ſimplex eſt, in ratione actûs, concedo. In ratione entis, nego; & nego conſequentiam.

Inſtabis. 2°. Niſi daretur ens aliquod ſimplex in ratione entis, infinita eſſent entia partialia in objecto quovis : abſurdum conſequens; ergo, &c.

Nego minorem. Illud enim non eſt abſurdum, quod evidenter cognoſcitur, ut verum; at evidenter cognoſcimus, infinita numero entia partialia in objecto quovis reipsâ contineri. Evidens enim eſt objectum quodvis ſuam habere naturam, & conſequenter ſuum genus, & ſuam differentiam. Evidens pariter eſt, genus & differentiam eſſe entia, quæ proindè ſuas habent eſſentias, & ſic conſequenter. Quoniam igitur repugnat deveniri poſſe ad ens aliquod partiale, quod ſuâ careat eſſentiâ; evidenter cognoſcimus, in objecto

Digitized by Google

quovis infinita contineri entia partialia: proindèque hoc eſt abſurdum.

Inſtabis denique. Abſurdum eſt dicere, objectum aliquod eſſe finitum ſimul, & infinitum: atqui, ſi valeret noſtra ſententia, objecta creata, finita eſſent ſimul & infinita; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Abſurdum eſt, objectum aliquod eſſe finitum, ratione multitudinis partium ſimul, & infinitum, ratione multitudinis, concedo. Eſſe finitum ratione perfectionum ſimul, & infinitum ratione multitudinis partium, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Repugnat igitur objectum aliquod eſſe finitum ſimul & infinitum, ſub eodem reſpectu: verbi gratiâ, ratione multitudinis partium: at non repugnat objectum idem eſſe finitum ſub uno reſpectu, & infinitum ſub altero; ſcilicet finitum, ratione perfectionum, & infinitum, ratione numeri partium.

Objicies. 2°. Datur apprehenſio objecti definiendi: atqui hæc apprehenſio ſimplex eſt, ex parte illius objecti. Illa namque apprehenſio ſimplex eſt, ex parte objecti, cujus objectum apprehenditur, ut ſimplex: atqui objectum definiendum apprehenditur, ut ſimplex, alioqui non inquireretur ejus definitio: ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi; quia

repugnat objectum carens partibus eſſentialibus. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Cujus objectum apprehenditur, ut ſimplex, id eſt, ut excludens partes quaſlibet componentes, concedo. Ut ſimplex, id eſt, cujus partes eſſentiales nondum innoteſcunt, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, quando apprehenditur objectum definiendum, apprehenditur ut ſimplex, id eſt, nondum apprehenduntur partes ejus eſſentiales; ſed non apprehenditur ut ſimplex, id eſt, ut excludens partes eſſentiales; alioqui fruſtrà quæreretur ejus definitio.

Concluſio tertia.

Quælibet apprehenſio poteſt eſſe falſa per ordinem, ad objectum apprehendendum. Tunc enim apprehenſio dicitur falſa per ordinem, ad objectum apprehendendum, quando loco unius objecti, apprehenditur aliud: atqui loco apprehendendi objecti aliud à nobis, &c. Ad hoc enim ſufficit, quod unumquodque objectum in attributis quibuſdam cum alio conveniat: hoc enim in caſu propter horum attributorum ſimilitudinem, unum apprehendi poteſt loco alterius: verbi gratiâ, dum nobis objiciuntur lupus & auricalcum,

Digitized by Google

hæc objecta ſunt apprehendenda, ut poſt oculis præſentia; fieri tamen poteſt, experientiâ teſte, ut loco lupi, canem, & loco auricalci, aurum apprehendamus; ergo loco objecti apprehendendi, poteſt aliud apprehendi: ergo, &c.

Ideò igitur tunc erramus; quia judicamus de entibus extrà nos poſitis, per ſola attributa communia, cùm tunc judicare deberemus per attributa propria: aliæ rationes hujus erroris deſumi poterunt, ex dicendis in Phyſicâ particulari, ubi de memoriâ & phantaſiâ.

Concluſio quarta.

Quælibet apprehenſio eſſentialiter eſt vera per ordinem, ad objectum apprehenſum. Quod enim eſſentialem habet connexionem cum objecto apprehenſo, eſſentialiter eſt verum per ordinem, ad objectum apprehenſum: atqui apprehenſio habet eſſentialem connexionem cum objecto apprehenſo; nec enim intelligi poteſt apprehenſio, quin intelligatur aliquid apprehenſum, ut per ſe manifeſtum eſt; ergo, &c.

De diſtinctione.

Circà diſtinctionem duo poſſunt hîc inquiri. Primum, quotuplex ſit in veri-

tate distinctionis ſpecies? Secundum, an quælibet distinctionis ſpecies ſit poſitiva, ſeu independens à mente humanâ?

Prima conclusio.

Triplex tantùm admittenda eſt diſtinctionis ſpecies. Totuplex enim admittenda eſt diſtinctionis ſpecies, quotuplex eſt entium determinatorum diverſa multitudo: atqui triplex tantùm eſt entium determinatorum diverſa multitudo. Cùm enim duplex tantùm ſit entis ſpecies, ſcilicet ſubſtantia & modificatio: hæ ſpecies tribus tantùm modis inter ſe diverſimodè poſſunt combinari. Vel enim agitur de ſubſtantiâ & ſubſtantiâ, vel de ſubſtantiâ & modificatione, vel de modificatione & modificatione: ergo triplex tantùm eſt entium determinatorum diverſa multitudo; ergo triplex tantùm eſt diſtinctionis ſpecies.

Si agatur de ſubſtantiâ & ſubſtantiâ, hæc diſtinctionis ſpecies vocabitur, *realis*, ex eo quòd ſubſtantia vocari ſoleat res; ſi agatur de ſubſtantiâ & modificatione; hæc diſtinctionis ſpecies vocabitur, *modalis*, ex eo quòd modificatio comparata cum ſubſtantiâ, nonnunquam dicatur modus: ſi tandem agatur de modificatione & modificatione, hæc diſtinctionis ſpecies vocabitur, *formalis*, ex eo quòd modifi-

cationes quandoque dicantur formæ.

Quod attinet ad diſtinctionem realem, fatentur omnes Philoſophi ipſam eſſe poſitivam, ſeu independentem à mente humanâ: at non omnes fatentur diſtinctionem modalem & diſtinctionem formalem, eſſe poſitivas. Sint itaque,

Concluſio ſecunda.

Diſtinctio modalis, poſitiva eſt. Diſtinctio enim, quæ reperitur inter ſpecies propriè dictas, & poſitivè diverſas, dici debet poſitiva: atqui diſtinctio modalis ſic ſe habet. Diſtinctio namque modalis reperitur ſubſtantiam inter & modificationem: atqui ſubſtantia & modificatio, ſunt ſpecies propriè dictæ, & poſitivè diverſæ. 1°. Quidem ſunt ſpecies propriè dictæ. Species enim, quæ ne divinitùs quidem poſſunt in ſe invicem tranſmutari, ſeu fieri ſimiles, ſunt ſpecies propriè dictæ: atqui nec ſubſtantia fieri poteſt modificatio, nec modificatio fieri poteſt ſubſtantia, quandoquidem eſſentialiter à ſe invicem diſcrepant; & eſſentiæ ſunt immutabiles, ſicut oſtendetur in Metaphyſicâ. 2°. Subſtantia & modificatio, ſunt ſpecies poſitivè diverſæ. Nam ea ſunt poſitivè diverſa, quæ diverſis exhibentur idæis, & diverſimodè definiuntur ab om-

nibus Philoſophis; idææ namque ſunt motivum certiſſimum judiciorum noſtrorum philoſophicorum, ut posteà probabitur: atqui ſubſtantia & modificatio diverſis exhibentur idæis, & diverſimodè definiuntur ab omnibus Philoſophis; ergo ſunt entia poſitivè diverſa; proindèque, &c.

Concluſio tertia.

Diſtinctio formalis, poſitiva eſt. Illa namque diſtinctio poſitiva eſt, quæ reperitur inter ea, quæ, nemine cogitante, non ſunt quid indiſtinctum: atqui diſtinctio formalis ſic ſe habet. Diſtinctio namque formalis reperitur inter modificationes: atqui modificationes, nemine cogitante, non ſunt quid indiſtinctum. Si enim intellectus & voluntas, verbi gratiâ, eſſent quid indiſtinctum, verum eſſet, hominem cognoſcere per voluntatem, & amare per intellectum. Pariter, ſi virtus & ſcientia eſſent quid indiſtinctum in homine, homo dici poſſet pius per ſcientiam, & doctus per pietatem: atqui hæc abſurda ſunt, &c. ergo, &c.

Duæ poſteriores concluſiones maximi ſunt momenti, quia ſunt fundamentum totius curſûs philoſophici; quamobrem utramque rurſus demonſtrabimus, ubi de ſigno diverſitatis & ſimilitudinis entium.

Digitized by Google

Objectiones.

Objicies. 1°. Illa diſtinctio non eſt poſitiva, quæ dicta fuit à Philoſophis modò virtualis, modò rationis: atqui diſtinctio quæ reperitur tùm inter ſubſtantiam & modificationem, tùm inter modificationem & modificationem, dicta fuit modò virtualis, modò rationis; ergo non eſt poſitiva.

Diſtinguo majorem... Quæ dicta fuit modò virtualis, modò rationis, eo ſenſu, quòd pendeat à virtute mentis, ut ſit in entibus, concedo... Eo ſenſu, quòd ſolâ virtute mentis detegatur in entibus, aut ſolâ ratione deprehendi poſſit, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Diſtinctio modalis & diſtinctio formalis, vocari potuerunt virtuales, eo ſenſu, quòd ſolâ virtute mentis detegi poſſint; non autem eo ſenſu, quòd pendeant à virtute mentis humanæ, ut ſint in ipſis entibus: pariter vocari potuerunt diſtinctiones rationis, aut forſan ex eo quòd modificationes dici poſſint rationes; nullatenùs autem eo ſenſu, quòd pendeant à ratione humanâ, ut exiſtant in ipſis entibus.

Inſtabis. Niſi diſtinctio modalis & diſtinctio formalis, dictæ fuiſſent virtuales & rationis eo ſenſu, quòd in ſolo intellectu

reſideant, modificationes vocari poſſint entia : atqui modificationes vocari non poſſunt entia. Modi namque entium, non ſunt entia : atqui modificationes nihil aliud ſunt, quàm entium modi ; ergo non ſunt entia ; proindèque, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Ens enim, juxtà Adverſarios, idem eſt, ac poſſibile ; at modificationes ſunt poſſibiles, quandoquidem exiſtunt : ergo ſunt entia. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Modi entium non ſunt illa entia, quorum ſunt modi, concedo. Non ſunt entia ſecundùm ſe, nego. Tranſeat minor, diſtingue pariter conſequens. Reverâ entium modi non ſunt ea entia, quorum ſunt modi : verbi gratiâ, ſcientia Petri, non eſt Petrus. At entium modi ſecundùm ſe, ſunt entia ; quia habent attributa ſociabilia : dixi autem, ad minorem tranſeat, ſolæ namque modificationes contingentes vocantur, modi.

Objicies. 2°. Quæ, nemine cogitante, identificantur cum ſubſtantiâ, nec ab ipsâ, nec inter ſe poſitivè diſtinguntur : atqui modificationes identificantur cum ſubſtantiâ : verbi gratiâ, doctrina Petri nihil aliud eſt, quàm Petrus, ut doctus ; ergo, &c.

Nego minorem. Species enim eſſentialiter diverſæ à ſubſtantiâ, non identificantur,

ſeu non ſunt quid idem cum ſubſtantiâ: atqui modificationes, ſunt ſpecies entis eſſentialiter diverſæ à ſubſtantiâ, ſiquidem includunt in idæis ſuis inhærentiam; & ſubſtantia excludit ab idæâ ſuâ inhærentiam. Ad id autem quod additur, nego ſcientiam Petri eſſe Petrum, ut doctum; alioqui quando diceretur, doctrina inhæret Petro, ſenſus eſſet, Petrus, ut doctus, inhæret Petro: quod eſt abſurdum; proindèque, &c.

Inſtabis. Attributa Divina, ſunt modificationes ſubſtantiæ Divinæ: atqui attributa Divina identificantur cum ſubſtantiâ Divinâ; quidquid enim eſt in Deo, Deus eſt, ut loquuntur Patres & Doctores; ergo, &c.

Nego minorem. Si enim attributa Divina identificarentur cum ſubſtantiâ Divinâ, non deberent ab Adverſariis diverſimodè definiri, non deberent ab ipſis diſtribui in abſoluta & relativa. Prætereà quando diceretur, Deus eſt juſtus, Deus eſt æternus, &c. ſenſus eſſet, Deus eſt Deus, Deus eſt Deus; quod nugatorium eſſet & abſurdum. Ad id autem quod additur, quidquid in Deo eſt, Deus eſt, reſpondeo hoc quidem verum eſſe, eo ſenſu, quòd ſoli Deo competat, ſaltem dum agitur de attributis ſpecificis & propriis;

non autem eo ſenſu, quòd quidquid inhæret Deo, ſit ipſa ſubſtantia Divina, alio. qui attributa Dei non dicerentur à Patribus numero infinita, quia ſubſtantia Divina unica eſt. Quando igitur afferuntur hæ propoſitiones... *Deus eſt ſumma veritas, Deus eſt ſumma bonitas*; ſenſus eſt, ſummam veritatem & ſummam bonitatem, ſoli Deo convenire.

Objicies denique. Diſtinctio formalis, poſitiva non eſt, ſi oriatur ab infirmitate intellectûs humani, quòd varias diſtinguat modificationes in aliquâ ſubſtantiâ: atqui reipsâ, hoc oritur ab infirmitate intellectûs humani; in quantùm propter ſuam finitudinem, ſeu limitationem, cogitur ſubſtantiam, quaſi per partes, apprehendere; cùm non poſſit eam totam ſimul attingere; ergo, &c.

Nego minorem. 1°. Namque, ſi hoc oriatur ab infirmitate intellectûs humani, ille intellectus dicendus eſſet firmior, qui paucas, aut nullas ejuſmodi modificationes detegeret: quod eſt abſurdum. 2°. Si hoc oriatur ab infirmitate intellectûs humani, huic infirmati mederi deberent Adverſarii; non autem eam fovere & augere, afferendo diverſas definitiones ejuſmodi modificationum. 3°. Oritur quidem ab infirmitate intellectûs humani, quòd ali-

quas tantùm modificationes objectorum, & quidem ſucceſſivè apprehendat; ſed intellectus humanus dicendus non eſt infirmior, ex eo quòd multas apprehendat; quia, quo plures apprehendit, eo plures habet cognitiones. 4°. Si modificationes ejuſdem ſubſtantiæ reipsâ non ſint distinctæ, cur aſſerunt Adverſarii, reperiri fundamentum ejuſmodi diſtinctionis? 5°. Pugnantia loquuntur Adverſarii, dum aſſerunt, intellectum humanum cogi ad ſubſtantiam, quaſi per partes apprehendendam, ex eo quòd ipſam totam ſimul attingere non poſſit: enim verò, ſi ſubſtantia ſit totum quoddam, neceſſe eſt ut habeat partes poſitivas. 6°. Denique nullo motivo firmo & laudabili nituntur Adverſarii, dum contendunt nullam eſſe poſitivam diſtinctionem, inter ejuſdem ſubſtantiæ modificationes: quod ut clariùs innoteſcat, ſit,

De ſigno diverſitatis, & ſimilitudinis entium.

Qui docent *diſtinctionem modalem* & *diſtinctionem formalem*, non eſſe poſitivas, non parùm laborant, in aſſignando motivo diſtinctionis poſitivæ entium. Alii namque dicunt, ſeparationem eſſe ejuſ-

modi ſignum, & motivum; alii verò, ſeparabilitatem; quia verò de fide eſt, tres eſſe perſonas Divinas poſitivè diſtinctas, quamvis ſint à ſe invicem inſeparabiles: ideò præter ſeparabilitatem, hoc aliud addunt diſtinctionis poſitivæ ſignum, *quando unum eſt alterius principium*: ſic opinantur Thomiſtæ.

Concluſio prima.

Diverſitas & ſimilitudo noſtrarum idæarum, ſunt ſigna certiſſima diverſitatis & ſimilitudinis entium, ut in ſe ſunt. Ea namque ſunt ſigna certiſſima diverſitatis & ſimilitudinis entium, ut in ſe ſunt, quæ ſunt unicum motivum, quo quis philoſophicè judicare poſſit, de diverſitate & ſimilitudine entium, ut in ſe ſunt: atqui idææ noſtræ ſunt ejuſmodi unicum motivum: nam quinque tantùm ſunt motiva diverſa judiciorum noſtrorum de entibus, ut in ſe ſunt; ſcilicet, *cupiditas, teſtimonium aliorum hominum, relatio noſtrorum ſenſuum, fides Divina, & idæarum noſtrarum intuitus*; ut conſtat ex eo, quòd nullum aliud ab Adverſariis afferri potuerit: atqui quatuor priora dici non poſſunt motiva judiciorum philoſophicorum, ſicut fatentur Adverſarii; ergo ſolæ idææ noſtræ, ſunt motiva judiciorum philoſo-

Digitized by Google

phicorùm; & conſequenter, ea dicenda ſunt in ſe poſitivè diverſa, quæ diverſis repræſentantur idæis; ea verò poſitivè ſimilia, quæ ſimilibus idæis exhibentur; ergo, &c.

Et certè quemadmodùm ex diverſitate tabellarum ritè depictarum, certò judicamus de diverſitate objectorum, ut in ſe ſunt, & ex earum ſimilitudine, certò judicamus de objectorum ſimilitudine, (ſi tamen ſint multa;) ſic ex diverſitate & ſimilitudine noſtrarum idæarum, certò judicare poſſumus de diverſitate & ſimilitudine entium, ut in ſe ſunt; præſertim cùm in hunc tantùm finem, nobis à Deo fuerint conceſſæ; proindèque, &c.

Per hanc concluſionem, demonſtrare juvat, duas poſtremas concluſiones ſuperiùs poſitas, ubi de variis diſtinctionis ſpeciebus & quidem hoc modo... Ea poſitivè diſtinguuntur, quæ ſunt entia poſitivè diverſa; diverſitas enim poſitiva, connotat eſſentialiter diſtinctionem poſiſitivam: atqui ſubſtantia & modificatio (idem ſit judicium de modificationibus) ſunt entia poſitivè diverſa. Ea namque ſunt entia poſitivè diverſa, quæ diverſis exhibentur idæis, & diverſimodè definiuntur ab Adverſariis; fieri namque non poteſt, ut diverſæ ſint repræſentationes,

quin diverſa ſint repræſentata : nec definitiones poſſunt eſſe diverſæ, quin diverſa ſint explicata : atqui *ſubſtantia* & *modificatio* diverſis exhibentur idæis, quandoquidem dicuntur ab Adverſariis, entia per mentem diverſa ; & aliundè diverſis definitionibus, ab ipſis explicantur ; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Si diverſitas idæarum noſtrarum, certiſſimum eſſet motivum diverſitatis entium, ut in ſe ſunt ; ens idem non poſſet diverſis idæis exhiberi : atqui tamen idem ens diverſis idæis exhiberi poteſt : verbi gratiâ, Deus diverſis repræſentatur idæis, ſcilicet modò, ut ſummè juſtus, modò, ut omnipotens, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Ens idem non poſſet diverſis idæis totalibus repræſentari, concedo. Diverſis idæis partialibus, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Dictum fuit quid ſint idææ totales, & partiales. Reverâ, &c.

Inſtabis. Idem ens diverſis idæis totalibus exhiberi poteſt, ſi unaquæque idæa ſit totalis : atqui unaquæque idæa totalis eſt, quandoquidem in ſe continet alias idæas ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si unaquæque idæa

ſit totalis, per ordinem ad totum, cujus eſt idæa partialis, concedo. Per ordinem, ad alias quas in ſe continet, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Itaque idæa, verbi gratiâ, æternitatis Divinæ, totalis quidem eſt, reſpectu aliarum partium eſſentialium, quas ipſa complectitur, nempè reſpectu ſui generis, & ſuæ differentiæ; at partialis eſt, reſpectu ipſius Dei; eſt enim tantùm ejus pars. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Non magis diverſitas idæarum eſt ſignum certum diverſitatis entium, ut in ſe ſunt; quàm diſtinctio & ſeparatio idæarum, ſunt ſigna certa diſtinctionis & ſeparationis entium: atqui diſtinctio & ſeparatio idæarum, non ſunt ſigna certa diſtinctionis & ſeparationis entium: nam, verbi gratiâ, ex eo quòd dentur centum idææ Dei, in centum hominibus, non ſequitur centum eſſe Deos, aut ſeparatos, aut diſtinctos; ergo, &c.

Nego majorem. Diſparitas eſt, quia diſtinctio & ſeparatio idæarum pendent à Deo, liberè multiplicante ſubſtantias ſpirituales, quibus diſtinctas, aut ſeparatas, ejuſdem entis concedit idæas: at verò, quoniam quælibet idæa eſſentialiter conformis eſt objecto repræſentato; ideò fieri non poteſt, ut diverſæ ſint repræſentationes

nes ejuſdem objecti, ſub eodem reſpectu conſiderati.

Objicies denique. Similitudo idæarum dici non poteſt ſignum certiſſimum ſimilitudinis entium, ut in ſe ſunt; ſi idem ens, ſub eodem reſpectu conſideratum, ſimilibus idæis repræſentari poſſit: atqui res ſic ſe habet. Nam in Petro, Paulo, cæteriſque naturæ humanæ individuis, ſimiles ſunt Divinitatis idææ; & tamen eſt eadem numero Divinitas; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si non præſupponatur entium facta multiplicatio, concedo. Si multiplicatio illa præſupponatur facta, nego. Itaque, quando ſimilitudo idæarum, dicitur ſignum certiſſimum ſimilitudinis entium, ut in ſe ſunt, præſupponitur entium illorum multitudo. Cùm enim entium multitudo pendeat à causâ, liberè agente, & nullum eſſe poſſit ſignum philoſophicè certum, illius multiplicationis factæ; ideò præſupponi debet illa multiplicatio facta.

Concluſio ſecunda.

Separabilitas, nec eſt unicum, nec primarium diſtinctionis poſitivæ ſignum, etiam dum agitur de entibus creatis.

1°. Quidem non eſt unicum diſtinctionis poſitivæ ſignum. Si enim in entibus

creatis reperiantur inſeparabilia poſitivè diſtincta, profectò ſeparabilitas non eſt unicum diſtinctionis poſitivæ ſignum, vel dum agitur de entibus creatis: atqui res ſic ſe habet. Sint enim in exemplum, genus & differentia circuli, quæ agnoſcuntur ab Adverſariis, inſeparabilia: atqui genus & differentia circuli, poſitivè diſtinguuntur, ſeu ſunt entia poſitivè multa. Quæ enim ſunt entia poſitivè diverſa, ſunt entia poſitivè multa; diverſitas enim poſitiva, diſtinctionem poſitivam importat: atqui genus & differentia circuli, ſunt diverſa poſitivè entia. Quæ enim ſunt diverſa poſitivè vera, ſunt diverſa poſitivè entia; ens enim & verum, dicuntur ab Adverſariis reciprocari poſſe; atqui genus & differentia circuli, ſunt diverſa poſitivè vera. Quæ enim ſunt diverſa poſitivè intelligibilia, ſunt diverſa poſitivè vera; verum enim & intelligibile, dicuntur pariter ab Adverſariis reciprocabilia: atqui genus & differentia circuli, ſunt diverſa poſitivè intelligibilia. Quæ enim poſitivè diverſimodè intelliguntur, ſunt diverſa poſitivè intelligibilia; ab actu enim ad poſſe, valet conſequentia: atqui genus & differentia circuli poſitivè diverſimodè intelliguntur, & quidem ab ipſis Adverſariis, quando-

Digitized by Google

quidem ab iis diverſimodè definiuntur; ergo genus & differentia circuli, ſunt diverſa poſitivè intelligibilia; ergo ſunt diverſa poſitivè vera; ergo ſunt diverſa poſitivè entia; ergo ſunt entia poſitivè diſtincta; ergo cùm ſint à ſe invicem inſeparabilia, ſeparabilitas non eſt unicum diſtinctionis poſitivæ ſignum, vel dum agitur de entibus creatis.

2°. Separabilitas non eſt primarium diſtinctionis poſitivæ ſignum. Si enim nemo philoſophicè judicare poſſit de ipsâ entium ſeparabilitate, niſi ſuarum idæarum inverventu; profectò ſeparabilitas non eſt primarium diſtinctionis poſitivæ ſignum: atqui res ſic ſe habet. Eatenùs enim poteſt quis philoſophicè judicare de entium mutuâ ſeparabilitate, quatenùs in eorum idæis detegit *perſeitatem*, ſeu independentiam à ſubjectis, quibus inhæreant; proindèque ſeparabilitas non eſt primarium diſtinctionis poſitivæ ſignum; quamobrem, &c.

Dices. Dum agitur de entibus creatis, quæcumque ſunt poſitivè diſtincta, per omnipotentiam Divinam, poſſunt à ſe invicem ſeparari; ergo dum agitur de entibus creatis, ſola ſeparabilitas eſt ſignum certum diſtinctionis poſitivæ.

Diſtinguo antecedens. Si ſint ſubſtantiæ

Digitized by Google

determinatæ, concedo. Si ſint modificationes, nego, & nego conſequentiam. Reverâ, ex entibus creatis, quæ ſunt ſubſtantiæ determinatæ, poſſunt ſeparari, ſeparatimque conſervari, quia ſibi invicem non adhærent: at, quæ ſunt modificationes, præſertim eſſentiales, ne divinitùs quidem conſervari poſſunt, ſeorſim à ſuis ſubjectis, nec proindè ſeorſim à ſe invicem, quia includunt in idæis ſuis inhærentiam.

De univerſalibus in eſſendo & prædicando generatim.

Circà hæc univerſalia, quæritur à Philoſophis, an exiſtant extrà nos, independenter ab actione mentis humanæ, ſeu, ut aiunt, *à parte rei?* Ut quæſtionem hanc ſolvamus.

Notandum eſt vocem hanc, *univerſale*, eſſe terminum concretum, qui ſic reſolvitur, *ens habens univerſalitatem*; unde duplex eſt difficultas. Prima, utrùm exiſtant *à parte rei*, *univerſalia materialiter ſumpta*, ſeu *entia habentia?* Secunda, utrùm exiſtant à parte rei, univerſalia formaliter ſumpta, ſeu *univerſalitates?* Agemus igitur primò, de univerſali materialier ſumpto. 2°. De univerſali formaliter ſumpto.

Digitized by Google

De univerſali materialiter ſumpto.

In hâc quæſtione, duo perpendemus. Primum, quænam ſint illa entia, quæ habent univerſalitatem? Secundum, utrùm hæc entia, ſeu ſubjecta, exiſtant à parte rei?

Nota porrò, hoc eſſe vulgare effatum apud Peripateticos, *non datur ſcientia de ſingularibus*; hinc dum inquirunt, quænam ſint entia habentia univerſalitatem; ſenſus eſt, quænam ſint objecta ſcientiarum? Hoc notato,

Plato vulgò creditur admiſiſſe idæas Divinas, tanquàm ſola univerſalia materialiter ſumpta; tum ex eo, quòd ſolæ idææ Divinæ judicentur neceſſariæ & immutabiles; tùm ex eo, quòd ſcientiarum objecta vulgò dicantur, *neceſſaria* & *immutabilia.*

Stoïci docuerunt idæas noſtras formales, ſeu repræſentationes, eſſe ſcientiarum objecta; & conſequenter ipſas eſſe ea univerſalia materialiter ſumpta, de quibus hîc agitur.

Nominales, idem cum Stoïcis opinantur: admittunt tamen inſuper, voces quaſdam, tanquàm ſcientiarum objecta; adeòque tanquàm univerſalia materialiter ſumpta.

Digitized by Google

Thomiſtæ & Scotiſtæ docent entium naturas, quatenùs aptas multis ineſſe, & de multis prædicari, ea eſſe univerſalia materialiter ſumpta, quæ ſint ſcientiarum objecta.

Dico autem 1°. Idæas Divinas non eſſe ea univerſalia in eſſendo & prædicando, quæ ſint ſcientiarum objecta. Quæ enim nec inſunt multis extrà Deum poſitis, nec de iis prædicari poſſunt, non ſunt ea univerſalia, quæ ſint ſcientiarum objecta: atqui idææ Divinæ ſic ſe habent; ut per ſe manifeſtum eſt; ergo, &c. Putereà, quando demonſtrant Phyſici, verbi gratiâ, corpus eſſe diviſibile, ſenſus non eſt, idæam Divinam corporis repræſentativam, eſſe diviſibilem; proindèque, &c.

Dico 2°. Nec idæas noſtras formales, nec ullas voces, eſſe ea univerſalia, quæ ſint ſcientiarum objecta. Ea namque non ſunt ſcientiarum objecta, de quibus non fiunt demonſtrationes in quâlibet ſcientiâ: atqui, nec de idæis noſtris formalibus, nec de ullis vocibus, fiunt demonſtrationes in ſcientiis; nam, verbi gratiâ, quando Metaphyſici demonſtrant Deum eſſe neceſſariò æternum, nec ſenſus eſt idæam noſtram formalem Dei repræſentativam, eſſe neceſſariò æternam; nec pariter vocem hanc, *Deus*, eſſe æternam; proindèque, &c.

Dices cum Nominalibus, univerſalia in eſſendo & prædicando, debent eſſe univoca: atqui ſolæ voces ſunt univocæ. Univocum enim dicitur illud, quod multis convenit, ſecundùm eandem ſignificationem; ergo, &c.

Nego minorem. Quæcumque enim ſunt ſimilia, dici debent univoca; at multa entia ſunt ſimilia; proindèque, &c. Et diſtinguo hanc propoſitionem; univocum eſt illud, quod multis convenit, ſecundùm eandem ſignificationem, ſive objectivam, ſive formalem; hoc eſt, ſive ſecundùm ſimile ſignificatum, ſive ſecundùm ſimile ſignum, concedo. Secundùm eandem ſignificationem ſolummodò formalem, nego. Itaque, quando vox aliqua dicitur univoca, hoc potiſſimùm intelligendum eſt eo ſenſu, quòd ſignificet entia ſimilia. Ubi notabis, voces univocas, à Peripateticis vocari, *univoca univocantia*; ipſa verò entia ſimilia ſignificata, vocari *univoca univocata*.

Quod ſi Platonici & Stoïci per idæas intellexiſſent, objecta per eas repræſentata. Pariter ſi Nominales, per voces intellexiſſent, ipſa entia ſignificata; omnes illi Philoſophi in eâdem fuiſſent ſententiâ cum Thomiſtis & Scotiſtis.

Dico igitur 3°. naturas entium multis

Digitized by Google

communicabiles, ea eſſe univerſalia in eſſendo & prædicando, quæ ſint ſcientiarum objecta. Quæ enim multis inſunt, de multis prædicari poſſunt; & de quibus fiunt demonſtrationes, dici debent ea univerſalia, quæ ſint ſcientiarum objecta: atqui naturæ entium multis communicabiles, ſic ſe habent; ut patet de naturâ corporeâ, de naturâ circuli, &c. proindèque, &c.

Colliges univerſalia materialiter ſumpta, exiſtere, ut aiunt, *à parte rei*, ſeu extrà intellectum humanum: evidens enim eſt naturas entium aut exiſtere, aut poſſe exiſtere, independenter à mente humanâ.

Notandum autem eſt, 1°. Naturas univerſales dici quidem poſſe ſcientiarum objecta; at non ipſas ſolas eſſe ejuſmodi objecta; dari namque poteſt ſcientia de ſingularibus; ut conſtabit ex dicendis.

Notandum 2°. Neceſſaria & immutabilia eſſe quidem ſcientiarum objecta; at non ipſa ſola: dari namque poteſt ſcientia de contingentibus; ſicut etiam alibi probabitur.

De univerſali formaliter ſumpto.

Peripatetici quatuor poſtulant conditiones, ad univerſale formaliter ſump-

tum, ſeu ad univerſalitatem, ſcilicet, *unitatem, aptitudinem, univocationem*, & *diviſionem:* conſentiunt autem inter ſe, circà tres poſteriores conditiones, id eſt, fatentur eas à parte rei, convenire naturis: verum acriter inter ſe diſputant, circà unitatem. Thomiſtæ contendunt, ad univerſalitatem requiri unitatem numericam, ſeu indiſtinctionis; unde cùm hæc unitas ſociari non poſſit cum diviſione & multiplicitate: docent conſequenter, univerſale formaliter ſumptum, exiſtere non poſſe à parte rei; volunt tamen univerſalitatem exiſtere poſſe per mentem. Scotiſtæ contendunt, ad univerſalitatem ſufficere unitatem ſimilitudinis; & proindè docent univerſale formaliter ſumptum, exiſtere à parte rei.

Thomiſtæ & Scotiſtæ putant ſolutionem hujus quæſtionis pendere à ſolutione hujus alterius; an nempè gradus metaphyſici unius & ejuſdem individui poſitivè diſtinguantur à ſe invicem. Si enim, inquiunt, gradus generici & ſpecifici, poſitivè diſtinguantur à gradibus numericis, entium naturæ poterunt eſſe, à parte rei, univerſales; ſi verò poſitivè non diſtinguantur, impoſſibile eſt univerſalitatem exiſtere à parte rei. Has omnes quæſtiones ſic ſolvimus.

Concluſio prima.

Gradus metaphyſici ejuſdem individui, ſunt à ſe invicem inſeparabiles. Modificationes enim, quæ ſeorſim & diſtributivè ſumptæ, ſunt inſeparabiles à toto, cujus ſunt partes, dici debent inſeparabiles à ſe invicem, ut per ſe manifeſtum eſt: atqui gradus metaphyſici ejuſdem individui, ſic ſe habent; ſicut conſtare debet ex eorum definitione, ab omnibus Philoſophis receptâ, quâ dicuntur attributa enti cuidam eſſentialia, quorum alia ſunt aliis generaliora.

Objectiones.

Objicies. 1°. *Animalitas & rationalitas* Petri ſunt gradus metaphyſici ejuſdem individui: atqui animalitas & rationalitas Petri, ſunt à ſe invicem ſeparabiles: moriente namque Petro, perit ejus animalitas; & remanet ejus rationalitas, quandoquidem remanet ejus anima rationalis; ergo, &c.

Tranſeat major. Nego minorem. Animalitas enim definitur ab Adverſariis, principium ſentiendi, ſeu potentia recipiendarum ſenſationum, occaſione objectorum ſenſilium; rationalitas verò definitur principium, ſeu potentia ratiocinandi:

Digitized by Google

atqui potentia ſentiendi, & potentia ratiocinandi, prout pertinent ad eandem animam rationalem, ſunt à ſe invicem inſeparabiles: potentiæ namque animæ, ſunt ipſi eſſentiales. Hinc, moriente Petro, non magis perit potentia ſentiendi, quàm potentia ratiocinandi. Dixi autem ad majorem, *tranſeat:* tùm quia animalitas & rationalitas, prout à Philoſophis definiuntur, non ſunt gradus metaphyſici Petri, ſed ſolius animæ Petri; tùm quia animalitas accipi poteſt pro ſpeciali diſpoſitione partium organicarum alicujus corporis, ob quam hoc corpus, variis motibus, variiſque motuum determinationibus, dicitur aptum: hoc ſenſu, communis eſt corporibus humanis, & belluinis: evidens autem eſt animalitatem, hoc poſteriore ſenſu ſumptam, ne quidem eſſe gradum eſſentialem corporis, quandoquidem eſt corpori contingens.

Inſtabis probando minorem. Illi gradus ſunt à ſe invicem ſeparabiles, quorum unus identificatur cum animâ; alter verò cum corpore: atqui rationalitas identificatur cum animâ rationali, & animalitas cum corpore; ergo, &c.

1°. Nego minorem. Tùm quia nulla modificatio identificatur cum ſubſtantiâ, cui inhæret; eſt enim ſpecies entis eſſen-

tialiter à ſubſtantiâ diversâ, tùm quia animalitas ſumpta pro principio ſentiendi, pertinet ad ſolam animam: corpus enim eſt incapax ſentiendi. Quòd ſi animalitas ſumatur pro ſpeciali diſpoſitione partium organicarum corporis, eſſentialiter diſcrepat à corpore.

2°. Contendo animalitatem, ſumptam pro principio ſentiendi, probari non poſſe gradum hominibus & brutis communem: quia probari non poteſt brutis ineſſe ſubſtantiam à materiâ diverſam; ſicut oſtendetur in Phyſicâ particulari: quamobrem ubi bruta vocantur animalia, tunc animalitas accipitur pro ſpeciali diſpoſitione mechanicâ partium organicarum.

3°. Quamvis animalitas eſſet genus, reſpectu hominum & brutorum, & quamvis rationalitas eſſet homini propria, non idcircò hi gradus eſſent à ſe invicem ſeparabiles; alioqui genus & differentia cujuſlibet entis, poſſent à ſe invicem ſeparari: quod ab Adverſariis non admittitur.

Objicies. 2°. Spiritualitas & materialitas, ſunt à ſe invicem ſeparabiles; & tamen ſunt gradus metaphyſici ejuſdem individui, nempè Petri; ergo, &c.

Nego ſecundam antecedentis partem. Nam ſpiritualitas pertinet ad ſolam animam Petri; & materialitas pertinet ad

ſolum ipſius corpus: porrò anima & corpus Petri, ſunt tota valdè diverſa; hinc Petrus, accuratè loquendo, nec ſpiritualis, nec materialis dici poteſt; ſed dici debet totum conſtans ex ſubſtantiâ ſpirituali, & ex ſubſtantiâ materiali.

Nota igitur in Petro, verbi gratiâ, gradus metaphyſicos triplicis generis diſtingui poſſe; alios nempè pertinentes ad ſolam animam, quales ſunt potentia ſentiendi, ſpiritualitas, perſeïtas, & poſſibilitas; alios pertinentes ad ſolum corpus, ut diviſibilitas, perſeïtas, &c. alios denique reſultantes ex unione corporis & animæ; id eſt, qui poſitâ hâc unione, ponuntur, & eâ ſublatâ, tolluntur; quales ſunt compoſitio ex corpore & animâ, perſonalitas, &c. Hinc ſi proponantur in exemplum gradus metaphyſici, qui ſint in homine; explorandum erit, an pertineant ad ſolam animam, an ad ſolum corpus, an ad totum reſultans ex animâ & corpore?

Colliges gradus metaphyſicos ejuſdem individui, formaliter à ſe invicem diſtingui; quia ſunt modificationes diverſæ: eoſdem autem modaliter diſtingui à ſubſtantiâ, cui inhærent.

Secunda concluſio.

Nec diviſio, nec diviſibilitas requirun-

tur ad univerſalitatem in eſſendo & prædicando, generatim ſumptam. Quod enim nec eſt eſſentiale, ſive univerſali, ut ſic, id eſt, univerſali, ut univerſali; ſive univerſali in eſſendo, & prædicando ſpeciatim, non requiritur ad univerſalitatem in eſſendo, & prædicando generatim: atqui, nec diviſio, nec diviſibilitas, ſunt eſſentiales univerſali, ut ſic, nec univerſalibus in eſſendo, & prædicando ſpeciatim.

1°. Quidem non ſunt eſſentiales univerſali, ut ſic. Si enim detur aliquod univerſale eſſentialiter immultiplicabile; profectò, nec diviſio, nec diviſibilitas, ſunt eſſentiales univerſali, ut ſic: atqui res ſic ſe habet. Deus enim eſt univerſalis in cauſando, & eſt eſſentialiter immultiplicabilis; ergo, &c.

2°. Nec diviſio, nec diviſibilitas, ſunt eſſentiales univerſalibus in eſſendo, & prædicando ſpeciatim. Nam ad hoc ſufficit, quod detur natura quædam, apta multis ineſſe, & de multis prædicari univocè, quæ tamen ſit eſſentialiter immultiplicabilis: atqui datur ejuſmodi natura, nempè Divina, quæ apta eſt ineſſe tribus perſonis Divinis, & de his eſt prædicabilis univocè, abſque ſui multiplicatione, ſicut fides docet; proindèque, &c.

Digitized by Google

Concluſio tertia.

Ad univerſale increatum, tùm in eſſendo, tùm in prædicando, neceſſariò requiritur unitas numerica, ſeu indiſtinctionis. Nam ad univerſale increatum, ea requiritur unitas, quæ ſociari poſſit cum immultiplicabilitate naturæ increatæ: atqui ſola unitas numerica, ſeu indiſtinctionis, ſociari poteſt cum immultiplicabilitate; ut patet ex ejus definitione; ergo, &c.

Concluſio quarta.

Ad univerſale creatum, tùm in eſſendo, tùm in prædicando, neceſſariò requiritur unitas ſimilitudinis. Cùm enim univerſale creatum in eſſendo & prædicando, ſit eſſentialiter multiplicabile, ut potè pendens à liberâ Dei voluntate, quantùm ad exiſtentiam, ad ipſum neceſſariò requiritur ea unitas, quæ ſit compatibilis cum multiplicabilitate: atqui ſola unitas ſimilitudinis, compatibilis eſt cum multiplicabilitate; quandoquidem unitas numerica, quamlibet excludit multiplicabilitatem; ergo, &c.

Corollaria.

Primum. Univerſale, tùm in eſſendo, tùm in prædicando generatim, definiri

Digitized by Google

debet unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè; ita ut unitas generatim ſumpta, conveniat utrique huic univerſali generatim ſumpto.

Secundum. Univerſale, tùm in eſſendo, tùm in prædicando increatum, definiri debet unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè & indiviſim, ſeu ſine ſui multiplicatione; ita ut unitas numerica conſtituat utrumque hoc univerſale.

Tertium. Univerſale creatum, tùm in eſſendo, tùm in prædicando, definiri debet unum aptum, vel ineſſe multis, vel prædicari de multis univocè & diviſim; ita ut unitas ſimilitudinis conſtituat utrumque hoc univerſale.

Concluſio quinta.

Univerſale creatum formaliter ſumptum, ſeu univerſalitas creata, exiſtit poſitivè, ſeu, ut aiunt, à parte rei. Ut enim univerſalitas creata exiſtat à parte rei, ſufficit, ſi unitas ſimilitudinis ſit unitas propriè dicta; ſi ipſa ſola conſtituere poſſit univerſale creatum; ſi denique poſitivè, ſeu independenter à mente, conveniat naturis creatis; de cæteris enim conditionibus, ſcilicet de aptitudine, univocatione & diviſione, nobiſcum conſentiunt

Adverſarii : atqui unitas ſimilitudinis ſic ſe habet.

1°. Quidem unitas ſimilitudinis, eſt propriè dicta unitas; forma namque totius propriè dicti, ut totum eſt, dici debet unitas propriè dicta : atqui unitas ſimilitudinis, eſt forma totius propriè dicti; tam enim totum multiplicabile dici debet propriè dictum totum, quàm totum immultiplicabile, quandoquidem ſunt duæ ſpecies propriè dictæ totius univerſim; ergo unitas ſimilitudinis, eſt propriè dicta unitas.

2°. Sola unitas ſimilitudinis conſtituere poteſt univerſale creatum. Univerſale namque creatum, eſſentialiter eſt multiplicabile : atqui ſola unitas ſimilitudinis conſtituere poteſt id, quod eſſentialiter eſt multiplicabile. Nam duplex tantùm eſt ſpecies unitatis, nimirùm unitas indiſtinctionis, ſeu numerica, & unitas ſimilitudinis; quandoquidem nihil eſt unum determinatum, quod non ſit, vel immultiplicabile, vel multiplicabile : atqui unitas indiſtinctionis conſtituere non poteſt id, quod eſt eſſentialier multiplicabile, cùm excludat ab idæâ ſuâ multiplicabilitatem; ergo ſola unitas ſimilitudinis ſociari poteſt cum multiplicabilitate; ergo ipſa ſola conſtituere poteſt univerſale creatum.

Digitized by Google

3°. Denique, unitas ſimilitudinis poſitivè, ſeu independenter à mente, convenit naturis creatis. Ad hoc enim ſufficit, quod natura, verbi gratiâ, humana, independenter à noſtrâ cogitatione, ſimilis ſit in ſuis individuis; & natura circuli ſimilis ſit in hoc, vel illo circulo: atqui res ſic ſe habet. Tam enim natura humana ſimilis eſt in ſuis individuis, independenter à mente noſtrâ; quàm natura trianguli & natura circuli diverſæ ſunt, independenter à mente; ergo, &c. proindèque, &c.

Et certè, nemine cogitante, quinque ſunt apud nos vocales, *a*, *e*, *i*, *o*, *u*; ergo, nemine cogitante, quælibet eſt una: præthereà, nemine cogitante, quælibet ex his vocalibus, eſt multiplicabilis; imò valdè multiplicatur in omnibus libris, tùm latinè, tùm gallicè ſcriptis; ergo, nemine cogitante, exiſtit aliquid unum, ſimul & multiplicabile; ergo nihil impedit quominùs univerſale creatum formaliter ſumptum, exiſtat à parte rei.

Objectiones.

Objicies. 1°. Natura, quæ à parte rei una eſt, unitate indiſtinctionis, non eſt à parte rei una, ſimul & multiplicabilis: atqui quælibet natura creata, una eſt à parte

rei, unitate indiſtinctionis. Natura namque inſeparabilis, à gradu individuante, ſeu à gradu numerico, una eſt unitate indiſtinctionis: atqui natura, quælibet creata, inſeparabilis eſt à gradu numerico; quandoquidem ex nobis, gradus metaphyſici ejuſdem totius, ſunt à ſe invicem inſeparabiles; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Natura namque ſimilis in multis, dici non poteſt una, unitate indiſtinctionis: atqui natura creata ſimilis eſt in multis, aut exiſtentibus, aut merè poſſibilibus; proindèque, &c. Ad probationem autem nego majorem. Non magis enim natura inſeparabilis à gradu numerico, dici poteſt una, unitate numerica; quàm natura inſeparabilis à gradu ſpecifico, dici poteſt ſpecifica: atqui natura inſeparabilis à gradu ſpecifico, nimirùm natura generica, dici non poteſt ſpecifica, ſeu differentialis: ergo pariter natura inſeparabilis à gradu numerico, non idcircò dici poteſt una, unitate numerica. Hinc natura, verbi gratiâ, Petri, eſt quidem una, unitate numericâ, quia Petrus non poteſt eſſe multiplex homo; ſed natura humana, quæ eſt in Petro, ſeu quæ eſt pars Petri, dici non poteſt una, unitate numericâ, quia eſt eſſentialiter multiplicabilis, non qui-

Digitized by Google

dem in Petro ; ſed in aliis individuis.

Objicies. 2°. Tunc tantùm natura dici poteſt univerſalis formaliter , quando præſcindit à gradibus ipſam multiplicantibus : atqui per mentem tantùm , natura præſcindit à gradibus ipſam multiplicantibus. Nam ibi tantùm natura præſcindit, ubi reperiri poteſt præſciſio : atqui in ſolo intellectu reperiri poteſt præſciſio , quandoquidem eſt actus facultatis cognoſcentis ; ergo , &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Ibi namque natura præſcindit à gradibus ipſam multiplicantibus, ubi eſt inſeparabilis ab ipſis , & eos non includit , tanquàm partes ſuas eſſentiales : atqui natura creata à parte rei , eſt inſeparabilis à gradibus ipſam multiplicantibus , & hos non includit , tanquàm partes ſuas eſſentiales ; ſicut conſtat ex dictis , ubi expoſuimus quid ſit præſciſio. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Ubi reperitur præſciſio formalis , vel activa , vel objectiva , ſeu paſſiva , concedo. Formalis tantùm , nego. Diſtingue pariter minorem , & nega conſequentiam. Præſciſio formalis , ſeu activa , eſt actus intellectûs apprehendentis unum ens , & prout ab alio inſeparabile , & prout ipſum non includens in idæâ ſuâ. Præſciſio objectiva , ſeu paſ-

ſiva eſt, non incluſio unius in alio, à quo tamen hoc eſt inſeparabile : Reverâ, &c.

Objicies. 3°. Si natura, verbi gratiâ, ſpiritualis eſſet à parte rei una, unitate ſimilitudinis, Deus & anima rationalis eſſent à parte rei, ſpiritus ſimiles : atqui Deus & anima rationalis, non ſunt à parte rei, ſpiritus ſimiles; ergo, &c.

Diſtinguo majorem... Deus & anima rationalis eſſent à parte rei, ſpiritus ſimiles, quantùm ad attributa ſpiritui eſſentialia, concedo. Quantùm ad differentias, naturam ſpiritualem contrahentes, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Porrò Deus & anima rationalis, non ſunt quidem ſpiritus, à parte rei ſimiles, quantùm ad differentias, naturam ſpiritualem contrahentes; quia neceſſitas exiſtendi, contrahens & determinans naturam ſpiritualem, ut ſit pars Dei, valdè diverſa eſt à gradu contrahente & determinante naturam ſpiritualem, ut ſit pars animæ rationalis; ſed Deus & anima rationalis, ſunt ſpiritus à parte rei ſimiles, quantùm ad attributa naturæ ſpirituàli eſſentialia : quia ſub hoc reſpectu, ſimili modo concipiuntur & definiuntur.

Objicies denique. Ad univerſale creatum formaliter ſumptum, ea requiritur unitas, quæ convenire poſſit ſcientiarum

objectis : atqui ſola unitas indiſtinctionis, competere poteſt ſcientiarum objectis. Ad objectum enim cujuſvis ſcientiæ, requiritur, ut unicâ definitione poſſit definiri : atqui, niſi hoc objectum habeat unitatem indiſtinctionis, non poterit unicâ definitione definiri ; ſed totuplex afferenda erit definitio, quotuplex erit objectum ſimile, ſeu multiplicatum ; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi, ob rationes allatas in probatione. Ad probationem autem hujus minoris, nego etiam minorem. Si enim natura creata ſingularis definiri non poſſit, ut ſingularis, ſi præterea naturæ ſingulares, in Adverſariorum principiis, non ſint ſcientiarum objecta ; profectò ſcientiæ cujuſvis objectum non debet habere unitatem indiſtinctionis : atqui res ſic ſe habet : tùm quia probabitur poſteà, individua ejuſdem naturæ non differre à ſe invicem : tùm quia docent Adverſarii, non dari ſcientiam de ſingularibus, ut ſingularia ſunt ; ſolæ igitur naturæ creatæ, prout ſimiles, definiri poſſunt, & ſub hoc reſpectu, ſunt ſcientiarum objecta.

De univerſalibus in eſſendo & prædicando ſpeciatim.

Priuſquàm ſolvantur quæſtiones, quæ

Digitized by Google

ſolent agitari circà univerſalia in eſſendo & prædicando ſpeciatim; duæ aliæ generales proponi ſolent. Prima, quænam ſit legitima horum univerſalium diſtributio? Secunda, an *univerſale* ſit genus, reſpectu ſuorum inferiorum?

Concluſio prima.

Univerſalia in eſſendo & prædicando, ritè diſtribuuntur primario, in eſſentialia & contingentia. Illa namque diſtributio dici debet primaria, quæ fit in inferiora, proximè & immediatè ſubjecta: atqui *eſſentiale* & *contingens*, immediatè ſubjacent univerſalibus, in eſſendo & prædicando; ut conſtare debet ex eo, quòd nulla poſſint aſſignari inferiora, ipſis immediatiùs ſubjecta; ergo, &c.

Concluſio ſecunda.

Univerſalia in eſſendo & prædicando, ſecundariò ritè diſtribuuntur, in genus, differentiam, ſpeciem, proprium & accidens. Si enim quæcumque ſunt univerſalia, ſive in eſſendo, ſive in prædicando, revocari poſſint ad has quinque ſpecies; legitima eſt hæc ſecundaria diſtributio: atqui res ſic ſe habet. Quidquid enim vel multis ineſt, vel de multis prædicari poteſt univocè, aut eſſentialiter, aut con-

Digitized by Google

tingenter ineſt, aut prædicatur. Si eſſentialiter; vel eſt pars communior eſſentiæ communis, & dicitur *genus;* vel eſt pars ſtrictior eorum eſſentiæ communis, & dicitur *differentia;* vel eſt tota eorum communis eſſentia, & eſt *ſpecies;* vel eſt attributum fluens à gradu differentiali, & eſt *proprium.* Si contingenter, vocari poteſt *accidens;* proindèque, &c.

Objectiones,

Objicies. 1°. Tot ſunt univerſalia in prædicando, quot ſunt prædicata diverſa: atqui longè plura ſunt, quàm quinque prædicata diverſa. Nam in Deo, verbi gratiâ, infinita ſunt prædicata diverſa; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quot ſunt prædicata diverſa, quantùm ad prædicandi modum, concedo. Diverſa, quantùm ad ſuas naturas, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Porrò ſunt quidem longè plura, quàm quinque prædicata diverſa, quantùm ad naturas ſuas; quia ſunt infinitæ partes diverſæ in objecto quovis: at plura non ſunt, quàm quinque prædicata diverſa, quantùm ad modum prædicandi. Hinc omnes Dei perfectiones, quantumvis à ſe invicem diverſæ, ratione ſuarum eſſentiarum, eodem tamen

tamen modo de Deo prædicantur, ſcilicet tanquàm ejus proprietates.

Objicies. 2°. Poſito quòd *ſpecies* non differat à genere, malè numerantur quinque univerſalia in prædicando: atqui ſpecies non differt à genere. Quod enim eſt ſolummodò pars communior eſſentiæ, non differt à genere: atqui ſpecies eſt ſolummodò pars communior eſſentiæ: verbi gratiâ, natura humana, quæ eſt ſpecies, eſt tantummodò pars communior eſſentiæ Petri; ergo, &c.

Nego minorem, ut conſtat ex diverſis definitionibus generis & ſpeciei. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Quod eſt ſolummodò pars communior eſſentiæ communis, non differt à genere, concedo. Eſſentiæ ſingularis, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Eſſentia communis, dicitur ea, quæ multis eſt communicabilis; ſingularis verò, quæ multis eſt incommunicabilis. Reverâ, &c.

Objicies denique. Modò accidens non differat à genere, malè numerantur quinque univerſalia, in prædicando: atqui accidens non differt à genere. Nam, verbi gratiâ, color eſt accidens: at color non differt à genere; prædicatur enim de albedine, nigredine, &c. tanquàm pars

communior harum ſpecierum eſſentiæ; ergo, &c.

Nego minorem. Ad probationem autem diſtinguo majorem. Color eſt accidens, reſpectu ſuorum ſubjectorum, concedo. Reſpectu ſuorum inferiorum, verbi gratiâ, reſpectu ſuarum ſpecierum, nego. Itaque, *color* ſpectari poteſt, vel per ordinem ad varia ſubjecta, quibus inhæret, tanquam eorum modificatio contingens; vel per ordinem ad ſua inferiora, ſeu per ordinem ad varias coloris ſpecies. Reverâ, &c.

Concluſio tertia.

Univerſale, verum eſt genus, reſpectu generis, differentiæ, ſpeciei, proprii, & accidentis. Illud enim eſt verum genus, reſpectu ſuorum inferiorum, quod de iis prædicari poteſt univocè, tanquam pars communior eorum eſſentiæ communis: atqui *univerſale* ſic ſe habet, reſpectu quinque univerſalium mox enumeratorum. 1°. Quidem illis convenit univocè. Dum enim illa ſingula dicuntur *univerſalia*; ſenſus eſt, unumquodque ex illis eſſe quid aptum, aut ineſſe multis, aut prædicari de multis univocè; ergo, &c. 2°. Convenit illis, tanquàm pars communior eorum eſſentiæ communis. Non tan-

Digitized by Google

tùm enim unum quodque eorum, eſt unum aptum, &c. ſed inſuper habet differentiam, per quam à cæteris diſcrepat: ſcilicet, genus habet, quòd ſit pars communior eſſentiæ communis; differentia habet, quòd ſit pars ſtrictior ejuſdem eſſentiæ; ſpecies, quòd ſit tota communis eſſentia; proprium, quòd ſit attributum fluens à gradu differentiali; & accidens, quòd ſit attributum contingens; ergo, &c. proindèque, &c.

Dices. Si *univerſale* eſſet genus, reſpectu quinque ſuprà dictorum univerſalium; genus, differentia, proprium & accidens, eſſent ſpecies: atqui non ſunt ſpecies; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Eſſent ſpecies, per ordinem ad univerſale, ut ſic, concedo. Per ordinem ad inferiora, de quibus ſunt prædicabilia, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Quemadmodùm igitur, *ſubſtantia* ſpecies eſt, reſpectu entis univerſim, & verum genus, reſpectu ſpiritûs & corporis; ſic quatuor ſuprà dicta univerſalia, ſunt ſpecies, reſpectu univerſalis, ut ſic; ſed non ſunt ſpecies, reſpectu inferiorum, de quibus ſunt prædicabilia; quia non ſunt tota communis eſſentia horum inferiorum.

His generaliter præmiſſis, nunc agen-

Digitized by Google

dum eſt de ſingulis ſpeciatim univerſalibus. Sit itaque.

De genere.

Circà genus, quatuor inquiruntur à Philoſophis. Primum, an *ens* ſit genus, reſpectu ſuorum omnium inferiorum? Secundum, an genus aliquod includat in idæâ ſuâ inferiora ſibi ſubjecta? Tertium, an genus includatur in ſuis inferioribus? Quartum, an genus conſervari poſſit totum in unicâ ipſius ſpecie? Ut ſolvantur hæc dubia, ſint,

Concluſio prima.

Ens eſt genus verum, reſpectu ſuorum omnium inferiorum. Quod enim univocè convenit omnibus ſuis inferioribus, tanquàm communior pars eorum eſſentiæ communis, dici debet verum genus, eorum reſpectu; atqui ens ſic ſe habet. 1°. Quidem univocè convenit omnibus ſuis inferioribus. Nam ſubſtantia & modificatio, ſunt entis inferiora; atqui ens univocè convenit ſubſtantiæ & modificationi. Ubi namque dicitur, *ſubſtantia eſt ens;* ſenſus eſt, ſubſtantia habet attributa ſociabilia: pariter ubi dicitur, *modificatio eſt ens*, ſenſus eſt; modificatio habet attributa ſociabilia; ergo, &c. 2°. Ens conve-

nit ſuis inferioribus, tanquàm pars communior eorum eſſentiæ communis. Præterquàm quòd enim ſubſtantia & modificatio ſunt poſſibiles, habent inſuper differentias, quibus à ſe invicem diſcrepant; ſcilicet, ſubſtantia habet, *perſeïtatem*; modificatio verò, *inalietatem*; ergo, &c. proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Quod includitur in differentiis ſui diſtributivis, non eſt genus, reſpectu ſuorum inferiorum: atqui ens includitur in differentiis ſui diſtributivis, hoc eſt, in perſeïtate & in inalietate. Dici namque poteſt, perſeïtas eſt ens, inalietas eſt ens; ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim aliquod univerſale dicatur genus, reſpectu ſuorum inferiorum, nullatenùs requiritur, ut in iis non includatur; ſed requiritur tantùm, ut ea non includat in idæâ ſuâ: nam, verbi gratiâ, quamvis genera includantur in ſuis ſpeciebus, quarum ſunt partes communes; non idcircò deſinunt eſſe genera, reſpectu harum ſpecierum: quamvis igitur ens includatur in idæis differentiarum ſui diſtributivarum, hoc non impedit quominùs ſit genus, reſpectu ſuorum omnium inferiorum.

Inſtabis. 1°. Exindè ſequeretur, differentias entis diſtributivas, eſſe ſpecies ſimul & differentias: atqui hoc repugnat; ergo, &c.

Diſtinguo ſequelam. Eſſe ſpecies ſimul & differentias, ſub diverſo reſpectu, concedo. Sub eodem reſpectu, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Abſurdum quidem eſt, aliquid eſſe ſpeciem ſimul & differentiam, ſub eodem reſpectu; quia tunc eſſet ſimul tota eſſentia communis, & pars tantùm hujus eſſentiæ; ſed abſurdum non eſt, aliquid eſſe ſpeciem ſimul & differentiam ſub diverſo reſpectu; verbi gratiâ, abſurdum non eſt, perſeïtatem eſſe differentiam, reſpectu ſubſtantiæ, & ſpeciem, reſpectu entis.

Inſtabis 2°. Eſt de ratione differentiarum generis diſtributivarum, ut una non poſſit eſſe ſpecies oppoſita ei ſpeciei, quam conſtituit: atqui tamen in noſtrâ ſententiâ, una differentia generis diſtributiva, eſſet ſpecies oppoſita ei ſpeciei, quam conſtituit; ſi quidem perſeïtas, quæ conſtituit ſubſtantiam, eſſet ſpecies oppoſita ſubſtantiæ, ſeu eſſet modificatio; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Eſt de ratione differentiarum generis ſubalterni diſtributivarum, concedo. Generis ſupremi, nego.

Reverâ, dum agitur de generibus ſubalternis, una differentia non poteſt eſſe ſpecies oppoſita ei ſpeciei, quam conſtituit; quia differentia illa non eſt ſpecies illius generis, quod diſtribuitur: at dum agitur de differentiâ generis ſupremi diſtributiva, neceſſe eſt, ut una differentia ſit ſpecies oppoſita ei ſpeciei, quam conſtituit; quia neceſſe eſt, ut ſit modificatio.

Objicies. 2°. Nullum genus includit in idæâ ſuâ ſpeciem ſibi ſubjectam, ut mox probabitur: atqui ens includit in idæâ ſuâ ſpeciem ſibi ſubjectam; nam modificatio, eſt ſpecies entis: atqui ens includit in idæâ ſuâ modificationem. Quod enim includit in idæâ ſuâ *poſſibilitatem*, includit in idæâ ſuâ modificationem: atqui ens includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, ſeu ſociabilitatem attributorum, ut potè ſibi eſſentialem; ergo, &c.

Nego minorem duorum priorum ſillogiſmorum; quia pars non includit in idæâ ſuâ totum, cujus eſt pars. Ad probationem autem poſterioris minoris, nego majorem. Quod enim includit in idæâ ſuâ aliquid indeterminatum, & omnibus ſpeciebus commune, non includit in idæâ ſuâ modificationem, quæ eſt ſpecies entis determinata: atqui, quod includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, includit aliquid indeter-

Digitized by Google

minatum & omnibus ſpeciebus commune; ergo, quod includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, non includit in idæâ ſuâ modificationem; ergo, &c.

Inſtabis. Quod includit in idæâ ſuâ ens in alio, includit in idæâ ſuâ modificationem: atqui, quod includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, includit in idæâ ſuâ ens in alio; ergo, quod includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, includit in idæâ ſuâ modificationem.

Diſtinguo majorem. Quod includit in idæâ ſuâ ens in alio determinato, includit in idæâ ſuâ modificationem, concedo. Quod includit in idæâ ſuâ ens in alio indeterminato, & omnibus communi, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, quod includit in idæâ ſuâ ens in alio determinato, includit in idæâ ſuâ modificationem; quia quidquid inhæret alteri determinato, determinatum eſt, & conſequenter eſt modificatio: at quod includit in idæâ ſuâ ens in alio indeterminato, non idcircò includit in idæâ ſuâ modificationem, ſeu ens determinatum: porrò, quod includit in idæâ ſuâ poſſibilitatem, includit quidem ens in alio indeterminato, & omnibus communi; quia ipſum ens, eſt quid indeterminatum; ſed quod includit in

idæâ ſuâ poſſibilitatem, non ideò includit in idæâ ſuâ ens in alio determinato; proindèque, &c. Quemadmodùm igitur ens, ſeu poſſibile, neque eſt ſubſtantia, neque modificatio; ſed eſt pars communis harum ſpecierum; ſic poſſibilitas, neque eſt ſubſtantia, neque modificatio, ſed eſt harum ſpecierum pars communis.

Objicies denique. Illud non eſt genus, reſpectu ſuorum inferiorum, in quo hæc inferiora differunt: atqui entis inferiora differunt à ſe invicem, in ente generatim ſumpto: differunt enim in ſuis differentiis, & differentiæ ſunt entia; ergo differunt in ente; ergo, &c.

Nego minorem, & ad probationem reſpondeo, ſillogiſmum non eſſe in formâ legitimâ: *ens* enim ſumitur univerſaliſſimè, ſeu ſecundùm totam ſuam extenſionem in concluſione; & ſumitur particulariter in antecedente: quod fieri non debet, ſicut conſtabit ex dicendis in tertiâ parte. Ut igitur legitima foret allati ſillogiſmi diſpoſitio, minor propoſitio ſic fuiſſet enuntianda: atqui hæ differentiæ ſunt ens quodlibet; & tunc minor fuiſſet apertè falſa.

Quæres autem, an ens ſit univocum, reſpectu entis poſitivi, &, ut aiunt, entis rationis? Ut reſpondeam,

Digitized by Google

Nota, nomine, *entis rationis*, intelligi, vel id cujus attributa reipsâ repugnant, & tamen per errorem judicantur ſociabilia; vel id cujus attributa reipsâ ſunt ſociabilia, & tamen per errorem judicantur inſociabilia. Hoc notato,

Reſpondeo ens eſſe univocum, reſpectu entis poſitivi & entis rationis; quia nimirùm utrumque eſt poſſibile; poſitivum quidem, tùm in intellectu creato, tùm extrà intellectum creatum; ens autem rationis, in ſolo intellectu creato errante.

At, inquies, ens rationis eſt, quid impoſſibile; ergo non eſt ens.

Diſtinguo antecedens. Eſt quid impoſſibile extrà intellectum creatum, concedo. In intellectu creato errante, nego: & diſtinguo conſequens; ergo non eſt ens poſitivum, concedo; ergo non eſt ens rationis, nego.

Concluſio ſecunda.

Nullùm genus includit in idæâ ſuâ inferiora ſibi ſubjecta; nam ſpecies & differentiæ ſunt inferiora generis: atqui nullum genus includit in idæâ ſuâ ſpecies ſibi ſubjectas, harumque differentias. 1°. Quidem non includit in idæâ ſuâ ſpecies ſibi ſubjectas. Nulla namque pars includit in idæâ ſuâ totum, cujus eſt pars: at genus quod-

libet, eſt pars ſpecierum ſibi ſubjectarum, ut conſtat ex ipſius definitione; ergo, &c.

2°. Nullum genus includit in idæâ ſuâ differentias ſpecierûm ſuarum conſtitutivas. Pars enim communior eſſentiæ ſpecierum, non includit in idæâ ſuâ partes harum ſpecierum proprias: at genus eſt pars communior ſpecierum, & differentiæ ſunt partes earum propriæ; ergo, &c. proindèque, &c.

Dices. Totum includit in idæâ ſuâ partes ſuas: atqui genus eſt totum quoddam, & ejus inferiora ſunt ipſius partes; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Totum actuale, transeat, totum potentiale, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Totum actuale dicitur illud, quod coaleſcit ex partibus ipſum componentibus: ſic homo eſt totum actuale, prout componitur ex animâ & corpore. Totum potentiale nihil aliud eſt, quàm univerſale quoddam, ſic dictum, quia in propoſitione plerumque tantùm poteſt, quantùm poſſunt ejus inferiora ſimul ſumpta, quando ſcilicet accipitur pro ſuis omnibus inferioribus: ſic *ſubſtantia*, vocatur totum potentiale, ex eo quòd in hâc propoſitione, *omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtit*; ſubjectum hoc, *omnis ſubſtantia*, tantùm po-

teſt, quantùm, ſi ipſius loco apponerentur ejus ſpecies, dicendo *omnis ſpiritus* & *omne corpus*, &c. Reverâ, &c. Dixi autem, *tranſeat;* quia totum actuale includit quidem in idæâ ſuâ partes ſibi eſſentiales, non autem ſibi contingentes.

Nota igitur, totum quodlibet potentiale, partem eſſe totius actualis; & totum actuale, partem eſſe potentialem: verbi gratiâ, ſubſtantia, quæ eſt totum potentiale, reſpectu ſpiritûs & corporis, eſt pars actualis utriuſque; ſpiritus autem & corpus, quæ ſunt partes potentiales ſubſtantiæ, ſunt tota actualia, reſpectu ſubſtantiæ.

Concluſio tertia.

Genus ſupremum includitur in omnibus ſuis inferioribus. Quidquid enim eſt eſſentialiter prædicabile de ſuis omnibus inferioribus, includitur in illis; prædicata namque eſſentialia includuntur in idæis ſuorum ſubjectorum: atqui genus ſupremum, eſſentialiter eſt prædicabile de ſuis omnibus inferioribus; probatum enim fuit ipſum eſſe genus, reſpectu ſuorum omnium inferiorum; ergo, &c.

Concluſio quarta.

Modificatio includitur in omnibus ſuis

Digitized by Google

inferioribus. Quod enim eſt pars eſſentiæ ſuorum omnium inferiorum, in his omnibus includitur: atqui modificatio eſt pars communior eſſentiæ ſuorum omnium inferiorum; inferiora namque modificationis eſſentialiter inter ſe conveniunt, in eo quòd ſint modificationes; ergo, &c.

Concluſio quinta.

Cætera genera, ab ente & modificatione diverſa, non includuntur in differentiis ſpecierum ſuarum conſtitutivis. In iis enim non includuntur, de quibus prædicari non poſſunt: atqui cætera genera prædicari non poſſunt de differentiis ſpecierum ſuarum conſtitutivis; quia ſcilicet ejuſmodi differentiæ, non ſunt ſpecies illorum generum; ergo, &c.

Concluſio ſexta.

Genus quodlibet conſervatur totum intenſivè, in unicâ ſuâ ſpecie; ſed non conſervatur totum extenſivè, in unicâ illâ ſpecie. Conſervari namque totum intenſivè, eſt habere totam ſuam eſſentiam; conſervari verò totum extenſivè, eſt habere totam ſuam univerſalitatem: atqui genus quodlibet totam ſuam habet eſſentiam in unicâ ſuâ ſpecie; quandoquidem eſſentia eſt indiviſibilis; non retinet autem totam

ſuam univerſalitatem, in unicâ illâ ſpecie; poteſt enim de aliâ ſpecie prædicari; proindèque, &c.

De differentiâ.

Circà differentiam, quatuor inquiruntur. 1°. An differentia inferior, ſeu minùs generalis, includat in idæâ ſuâ ſuperiorem, ſeu generaliorem? 2°. An ſufficiat unica differentia, ad conſtituendam ſpeciem? 3°. An admittendæ ſint differentiæ negativæ? 4°. An admittendæ ſint differentiæ numericæ? Ut his quæſtionibus fiat ſatis, ſint,

Concluſio prima.

Differentia quævis inferior, includit in idæâ ſuâ inalietatem. Quidquid enim eſſentialiter eſt ens in alio, includit in idæâ ſuâ inalietatem: atqui quælibet differentia inferior eſſentialiter, eſt ens in alio, cùm ſit eſſentialiter modificatio; ergo, &c.

Concluſio ſecunda.

Nulla differentia inferior includit in idæâ ſuâ differentias ſuperiores, ab inalietate diverſas. Ut enim differentia inferior includeret in idæâ ſuâ differentiam ſuperiorem, ab inalietate diverſam, deberet eſſe ſpecies generis ſubalterni, à modifi-

catione diverſi : atqui differentia inferior non poteſt eſſe ſpecies generum ſubalternorum, à modificatione diverſorum; ut patet ex eo, quòd ejuſmodi genera prædicari non poſſint de differentiis inferioribus; ergo, &c.

Dices cum quibuſdam Peripateticis: *Viſivitas*, eſt differentia inferior, reſpectu *ſenſitivitatis*; & *fiſſipedalitas*, eſt differentia inferior, reſpectu *pedalitatis*: atqui viſivitas includit in ideâ ſuâ ſenſitivitatem, cùm intelligi non poſſit, abſque ſenſitivitate; & fiſſipedalitas includit in ideâ ſuâ pedalitatem, ob eandem rationem; ergo, &c.

Nego minorem, ob rationes allatas in probatione. Viſivitas quidem & fiſſipedalitas, includunt in ideis ſuis differentias ſuperiores, ſi ſpectentur ut ſpecies; ſed eas non includunt, ſi ſpectentur ut differentiæ. Difficultas igitur, orta fuit, ex eo quòd viſivitas & fiſſipedalitas exprimantur iiſdem terminis; ſive ſumantur pro ſpeciebus, ſive ſumantur pro differentiis.

Concluſio tertia.

Ad conſtituendas ſpecies propriè dictas, ſufficit unica differentia eſſentialis. In iis enim ſpeciebus, ſufficit unica differentia

eſſentialis, in quibus ſufficit unicus gradus, determinans genus, diſtinguens ſpeciem ab aliâ quâvis, & qui ſit fons, & radix omnium ejus proprietatum; ut enim conſtituatur ſpecies propriè dicta, ſufficiunt duæ partes eſſentiales, communior ſcilicet & ſtrictior: atqui in ſpeciebus propriè dictis, reipsâ ſufficit unicus gradus, ut genus determinetur & contrahatur; ut una ſpecies diſcrepet ab aliis, & ut adſit fons & origo proprietatum: unicus enim gradus hæc omnia præſtare poteſt; ergo, &c.

Dices. Anima rationalis, eſt ſpecies propriè dicta: atqui ad ipſam conſtituendam, non ſufficit unica differentia; ut conſtare debet ex eo, quòd in ejus definitione duæ enuntientur differentiæ; definitur enim ſpiritus contingens, incompletus; ergo, &c.

Nego majorem (quæ eſt ſecunda propoſitio in objectione). Si enim in definitione animæ rationalis, apponantur duo termini, pro ipſius differentiâ; hoc oritur, vel ex eo quòd deſit vox ſignificans contingentiam ſimul & rationem incompleti; vel potiùs ex eo quòd genuina animæ rationalis differentia ignoretur. Hanc genuinam differentiam inquiremus in Metaphyſicâ.

Digitized by Google

Concluſio quarta.

Ad conſtituendam ſpeciem impropriè dictam, non ſufficit unica differentia. Non ſufficit enim unica differentia, ad eam ſpeciem conſtituendam, quæ per modificationum contingentium congeriem, diſcrepat ab aliis ſpeciebus: atqui ſpecies impropriè dicta, per modificationum contingentium congeriem, à cæteris diſcrepat; ut patet, verbi gratiâ, de auro, quod non niſi, per multas ſimul modificationes contingentes, diſcrepat à cæteris corporibus, nimirùm per pondus, ductilitatem, molecularum configurationem, ſitum, texturam, &c. proindèque, &c.

Concluſio quinta.

Quædam entia privativè tantùm, à quibuſdam aliis differunt. Entia enim, quæ in eo tantùm ab aliis quibuſdam diſcrepant, quòd careant aliquâ modificatione, quæ aliis ineſt, privativè tantùm ab ipſis differunt: atqui quædam entia ſic ſe habent. Nam, verbi gratiâ, actus moraliter mali, in eo ſolo differunt ab actibus moraliter bonis, quòd careant rectitudine debitâ; ſicut probabitur in Morali; ergo, &c.

Dices. Quod habet gradum proprium, per quem diſcrepat, non privativè tan-

Digitized by Google

tùm differt : atqui quodlibet ens habet gradum ſibi proprium, per quem diſcrepat, quandoquidem habet eſſentiam ſibi propriam; ergo nullum ens privativè tantùm differt.

Diſtinguo majorem. Quod habet gradum proprium, per quem differt ab omnibus aliis entibus, concedo. A quibuſdam tantùm aliis, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Porrò quodlibet ens habet quidem gradum, per quem differt à nonnullis aliis entibus, alioqui non eſſet ens; ſed non ſemper habet gradum poſitivum, per quem diſcrepet à quibuſdam aliis entibus: verbi gratiâ, actus moraliter mali, habent quidem gradum, quo differunt ab aliis modificationibus, quæ non ſunt actus; ſed non habent gradum poſitivum, quo differant ab actibus moraliter bonis; quia nihil habent poſitivum, quod non reperiatur in actibus bonis.

Notandum autem 1°. carentiam illam, vocari differentiam privativam, non quòd ſit membrum differentiæ generatim ſumptæ, ſi quidem entis carentia non eſt ens; ſed eo ſenſu, quòd entia per ejuſmodi carentiam, ab aliis quibuſdam diſcrepent.

Notandum 2°. entia dicenda non eſſe privativè tantùm à quibuſdam aliis diſ-

Digitized by Google

crepantia, niſi fiat attentio ad regulam ſequentem. Si ens habeat, aut proprietates, aut relationes eſſentiales, quæ non occurrunt in aliis quibuſlibet entibus; tunc non privativè, ſed poſitivè diſcrepat: ſi verò nullas ejuſmodi habeat, aut proprietates, aut relationes, & inſuper careat aliquâ modificatione, quæ ſit in aliis entibus; tunc privativè tantùm ab iis diſcrepat.

Concluſio ſexta.

Gradus numerici dici non debent *differentiæ numericæ*. Poſito namque quòd individua ejuſdem ſpeciei, non differant à ſe invicem, gradus numerici dici non debent differentiæ: atqui individua ejuſdem ſpeciei, reipsâ non differunt à ſe invicem, ſaltem eſſentialiter. Quæ enim ſimilibus idæis exhibentur, & ſimili modo definiuntur, non differunt à ſe invicem, ſaltem eſſentialiter: atqui individua ejuſdem ſpeciei, ſimilibus exhibentur idæis, & ſimili modo, vel ab Adverſariis definiuntur; ergo, &c.

De ſpecie.

Circà ſpeciem, ſequentes inſtituuntur quæſtiones.

Quæres igitur 1°. An ſpecies ſit univer-

ſalis, prout dicit ordinem ad genus, cui ſubjacet? an autem, prout dicit ordinem, ad inferiora ſibi ſubjecta?

Reſpondeo ſpeciem, prout dicit ordinem ad genus, non eſſe univerſalem; quia prædicari non poteſt de illo genere; ipſam autem eſſe univerſalem, per ordinem ad ſua inferiora, quia de his eſt prædicabilis.

Quæres 2°. an ſpecies ſuperet genus; an verò ſuperetur à genere?

Reſpondeo 1°. genus ſuperari intenſivè à ſpecie. Quod enim pauciores habet gradus eſſentiales diverſos, quàm ſpecies, intenſivè ſuperatur à ſpecie: atqui genus pauciores habet gradus eſſentiales diverſos, quàm ſpecies; ut conſtare debet ex eo, quòd ſpecies contineat omnes gradus eſſentiales generis, & inſuper gradum ſuum differentialem, omneſque ſuas proprietates; ergo, &c. Atque hinc eſt, quòd ens univerſim minùs perfectum ſit, quàm ſubſtantia: ſubſtantia, minùs quàm ſpiritus; & ſpiritus, minùs quàm ipſius ſpecies.

Reſpondeo 2°. ſpeciem ſuperari extenſivè à genere. Quòd enim minùs eſt generale, quàm genus, extenſivè ſuperatur à genere: atqui ſpecies minùs generalis eſt, quàm ipſius genus, ut per ſe manifeſtum eſt; proindeque, &c.

Digitized by Google

Quæres 3°. an ſpecies conſervari poſſit tota, in unico ſuo individuo?

Reſpondeo, ſpeciem conſervari poſſe totam intenſivè, in unico ſuo individuo; quia attributa intenſiva, ſeu eſſentialia ſpeciei, ſunt à ſe invicem inſeparabilia: ipſam verò non conſervari totam extenſivè, in unico individuo; quia prædicari poteſt de aliis individuis.

Quæres 4°. an detur aliqua ſpecies infima?

Reſpondeo, multas dari ſpecies infimas. Species enim infimæ, dicuntur illæ, quæ prædicabiles ſunt de ſolo numero diſtinctis, ſeu de ſimilibus individuis: atqui multæ dantur ejuſmodi ſpecies. Nam, verbi gratiâ, circulus, prædicabilis eſt de ſolis individuis ſimilibus, impoſſibiles enim ſunt circuli ſpecie diverſi: pariter *numerus binarius*, prædicabilis eſt de ſolo numero diſtinctis: idem dicendum eſt de *ternario*, *quaternario*, &c. proindeque, &c.

Quæres denique, an natura humana ſit ſpecies infima, hoc eſt, an impoſſibiles ſint homines, à nobis ſpecie propriè dictâ diverſi, ſeu à nobis eſſentialiter diſcrepantes? ut reſpondeam,

Notandum eſt, diverſitatem ſpecificam, & propriè dictam, reperiri non poſſe

Digitized by Google

inter corpora ; quia per ſolam modificationum contingentium collectionem, à ſe invicem differunt : hinc licet exiſterent homines, quidam *quadrupedes*, *alati*, *ſquammati*, &c. non idcircò ſpecie propriè dictâ differrent ab hominibus nunc exiſtentibus. Tota igitur diverſitas propriè dicta, ſi quæ ſit poſſibilis, eſſet repetenda à partibus eſſentialibus animæ ; ſeu à facultatibus. Hoc notato,

Concluſio.

Ignorant Philoſophi, an natura humana ſit ſpecies infima. Qui enim ignorant, an poſſibiles vel impoſſibiles ſint, animæ rationales, à noſtris ſpecie propriè dictâ diverſæ ; ignorant, an natura humana ſit ſpecies infima ; ut conſtat ex notato : atqui Philoſophi id ignorant. 1°. Quidem, ignorant, an poſſibiles ſint animæ rationales, à noſtris ſpecie propriè dictâ diverſæ ; ut enim poſſibilitatem hanc aſſererent, deberent aſſignare gradum aliquem eſſentialem, per quem ejuſmodi animæ differrent à noſtris : atqui ſuprà dictum aſſignare non poſſunt gradum, ut ipſi fatentur : ergo, &c. 2°. Ignorant, an impoſſibiles ſint animæ rationales, à noſtris ſpecie propriè dicta diverſæ. Ut enim impoſſibilitatem hanc aſſererent,

Digitized by Google

deberent eſſe certi, noſtris animabus ineſſe facultates omnes creabiles: atqui non poſſunt eſſe certi, noſtris animabus ineſſe facultates omnes creabiles; quando quidem nullo motivo nituntur, ut id aſſerant; ergo, &c. proindèque, &c.

Dices, ex nobis infinitæ ſunt numero potentiæ, tùm activæ, tùm paſſivæ in animabus noſtris; ergo impoſſibiles ſunt animæ, quæ diverſas alias habeant potentias.

Diſtinguo antecedens. Infinitæ ſunt numero in animabus noſtris potentiæ, tùm activæ, tùm paſſivæ, in quibuſdam tantum generibus, concedo. In omni genere producibili in ſpiritu creato, neſcio. Scilicet ſunt quidem infinitæ numero potentiæ, tùm activæ, tùm paſſivæ, in animabus noſtris, in certis quibuſdam generibus, verbi gratiâ, in genere cognoſcendi, volendi, recipiendi impreſſiones colorum, ſonorum, &c. ſed neſcio, an animabus noſtris inſint omnia genera potentiarum creabilium.

De proprio.

Circà proprinm unum tantùm hic inquiri poteſt, an nempè legitima ſit diſtributio proprii, in quatuor modos, prout inſtituitur à Peripateticis?

Digitized by Google

Reſpondeo, diſtributionem illam non eſſe legitimam. Quæ enim dicuntur propria, primo, ſecundo, & tertio modo, in rei veritate ſunt attributa contingentia; ut patet exemplis, quæ à Peripateticis afferuntur; hinc genuina proprii diſtributio, fieri debet, in primarium, & ſecundarium, quorum definitiones traditæ ſunt.

De accidente.

Circà accidens, unicum tantùm hic inquiri poteſt, utrùm ſcilicet admittenda ſint accidentia abſoluta dicta, ſeu modificationes, quæ per miraculum conſervari poſſint, ſeorſim à ſuis ſubjectis? hæc queſtio commodiùs ſolvetur in Phyſicâ generali.

De individuo.

Circà individuum, ſequentes proponi ſolent quæſtiones.

Quæres igitur 1°. an individuum materialiter ſumptum, ſit univerſale?

Reſpondeo, individuum materiale, 1°. *intentionaliter ſumptum*, ſeu ſumptum pro hoc numero individuo, non eſſe univerſale; quia, ſub hoc reſpectu, de multis non eſt prædicabile: ipſum autem 2°. *intentionaliter ſumptum*, eſſe univerſale; quia

quia, ſub hoc reſpectu, de multis eſt prædicabile.

Quæres 2°. an individuum formaliter ſumptum, ſit univerſale?

Reſpondeo individuum formale, *primò-intentionaliter ſumptum*, non eſſe univerſale; quia, ſub hoc reſpectu, uni tantùm ineſt: ipſum verò, *ſumptum ſecundò-intentionaliter*, eſſe quid univerſale; quia multis ineſſe poteſt.

Quæres 3°. ad quodnam ex univerſalibus revocanda ſint individuum materiale, & individuum formale, ſecundò-intentionaliter ſumpta?

Reſpondeo, ipſa eſſe revocanda ad genus; quia multis ſpecie diverſis, vel ineſſe, vel de iis prædicari poſſunt, tanquam communiores eorum eſſentiæ partes.

Monitum.

Poſtquam actum eſt de univerſalibus, & de individuo; Peripatetici varias enumerant univerſalium proprietates, ſed quæ nullius ſunt momenti: quoniam tamen, inter ſe non conſentiunt circà *prædicabilitatem*, quæ una eſt ex ejuſmodi proprietatibus: aliis ſcilicet aſſerentibus univerſalia, dum prædicantur de ſuis inferioribus, ſuam amittere univerſalitatem;

aliis autem docentibus univerſalia ſuam tunc retinere univerſalitatem; ideo, ut dirimatur hæc controverſia, ſit,

Concluſio.

Univerſalia remanent univerſalia, dum prædicantur de ſuis inferioribus. Quæ enim eſſentialiter ſunt univerſalia, ſuam retinent univerſalitatem, in quâvis hypoteſi; atqui univerſalia ſunt eſſentialiter univerſalia. Univerſalia namque definiuntur ab omnibus, quæ habent aptitudinem, ſeu potentiam, ut vel multis inſint; vel ut de multis prædicentur univocè: atqui potentiæ ſunt eſſentiales ſubjectis, quibus inſunt; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Tunc natura non remanet univerſalis, quando non remanet à ſuis inferioribus abſtracta: atqui quando natura quædam univerſalis, prædicatur de aliquo ſuo inferiore, non remanet ab ipſo abſtracta. Quod enim apprehenditur ſimul cum alio, non abſtrahit ab ipſo: atqui dum natura univerſalis prædicatur de aliquo inferiore, ſimul cum ipſo apprehenditur; ut per ſe patet; ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Quod

enim eſt inſeparabile à gradu contrahente, & ipſum non includit in idæâ ſuâ, præſcindit, ſeu abſtrahit ab hoc gradu: atqui natura quælibet univerſalis, inſeparabilis eſt à gradu contrahente, quandoquidem & ipſa, & gradus contrahens ſunt partes eſſentiales ejuſdem totius; aliunde verò, non includit in idæâ ſuâ gradum contrahentem; quia nullum ſuperius includit in idæâ ſuâ, inferiora ſibi ſubjecta; proindeque, &c. Ad probationem autem, nego majorem. Ut enim unum abſtrahat ab alio, non requiritur, ut apprehendatur ſine alio; ſed duæ conditiones ſuperiùs allatæ, ſufficiunt ad abſtractionem.

Objicies. 2°. Quod ſumitur particulariter, non remanet univerſale: atqui, dum univerſale prædicatur de ſuis inferioribus, ſumitur particulariter, ut probatur in tertiâ parte; ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim aliquid ſit univerſale, ſufficit, quòd ſit unum aptum prædicari de multis univocè: porro, quamvis ſumatur particulariter, ſeu pro parte ſuorum inferiorum, nihilominùs remanet aptum de aliis prædicari; proindeque, &c. Diſcrimen igitur eſt, inter *eſſe univerſale*, & *ſumi univerſaliter*. Nimirùm *eſſe univerſale*, eſt eſſe unum aptum, &c.

Digitized by Google

ſumi verò *univerſaliter*, eſt accipi pro ſuis omnibus inferioribus.

Objicies denique, modò ſubjectum attributi propoſitionis, identificetur cum ſubjecto propoſitionis; univerſale non remanet univerſale, dum prædicatur de aliquo ſuo inferiore; hoc enim in caſu ſola forma prædicati, ſuam retinet univerſalitatem, adeòque ſolum univerſale in eſſendo, remanet univerſale: atqui ſubjectum attributi identificatur cum ſubjecto propoſitionis, verbi gratiâ, in hâc propoſitione... Petrus eſt homo, ſubjectum attributi, ſcilicet *ens habens*, identificatur cum Petro; dici namque poteſt, ens habens humanitatem, eſt quid idem cum Petro; ergo, &c.

Nego minorem. Si enim ſubjectum attributi identificaretur cum ſubjecto propoſitionis; ſenſus propoſitionis mox allatæ, hic eſſet, *Petrus eſt Petrus cum humanitate*: quod eſt abſurdum. De hâc difficultate fuſiùs dicetur in Concertationibus circà judicium.

De Diviſionibus potentialibus, ſeu de Cathegoriis.

Diviſio potentialis, ſeu cathegoria, eſt diſtributio alicujus univerſalis, in ſua in-

Digitized by Google

feriora. Circà cathegorias, duo hîc inquiruntur à Philoſophis. Primùm, quot conditiones requirantur, ut aliquid collocari poſſit in cathegoriâ; hoc eſt, ut ſit membrum diſtributionis alicujus univerſalis. Secundum, quotuplex admittenda ſit cathegoria.

Quod attinet ad priorem queſtionem, docent Peripatetici, quinque præſertim conditiones, ad ens cathegoricum requiri: prima eſt, ut ſit ens poſitivum; ſecunda, ut ſit ens per ſe; tertia, ut ſit ens incomplexum: quarta, ut ſit ens completum: quinta, ut ſit ens univocum: ſextam addunt nonnulli, ſcilicet, ut ſit ens finitum logicè, hoc eſt, ut non exprimatur termino infinitante.

Hæc parùm accuratè dicta ſunt. Quodlibet enim ens determinatum, contineri poteſt in cathegoriâ; quandoquidem eſt ſpecies generis ſupremi, ſeu entis univerſim.

Quod attinet ad alteram quæſtionem, notandum eſt, decem cathegorias à Peripateticis admitti, nempè diſtributiones *ſubſtantiæ*, *quantitatis*, *qualitatis*, *relationis*, *actionis*, *paſſionis*, *ubi*, *quando*, *ſitûs* & *habitûs*; unde hîc inquiritur, an reipsâ decem admittendæ ſint ejuſmodi cathegoriæ, ſeu diſtributiones?

Digitized by Google

Dico autem primò, ſi, cathegoriæ nomine, intelligatur generis ſupremi diſtributio; unicam admittendam eſſe cathegoriam, quia unicum eſt genus ſupremum, nempè, *ens*.

Dico ſecundò, ſi cathegoriæ nomine, intelligatur cujuſvis univerſalis diſtributio in ſua inferiora, innumeras eſſe cathegorias; quia innumera ſunt univerſalia, quæ poſſunt in inferiora ſua diſtribui.

Quamvis autem Peripateticorum cathegorias, tanquam generum ſupremorum diſtributiones, non admittamus; quia tamen, earum occaſione, quæſtiones nonnullæ hîc agitari ſolent; ideò de ſequentibus agemus, de ſubſtantiâ, de quantitate, de relatione, & de actione.

De ſubſtantiâ.

Circà ſubſtantiam unum tantum hîc inquiritur, utrùm nempè ſit quid univocum & genericum, reſpectu Dei, & eorum entium creatorum, quæ vocantur ſubſtantiæ.

Concluſio.

Subſtantia, eſt verum genus, reſpectu Dei, animæ rationalis & corporum. Quod enim eſt pars communior eſſentiæ Dei,

Digitized by Google

animæ rationalis & corporum, dici debet verum genus, eorum reſpectu: atqui ſubſtantia, eſt pars communior illorum entium eſſentiæ: eſt quidem pars illorum eſſentiæ, quia Deus, anima rationalis & corpora, *perſeitatem* in idæis ſuis includunt. Deinde *ſubſtantia*, eſt pars communior eorumdem eſſentiæ; non tantùm enim illa entia habent, quòd ſint *ſubſtantiæ;* ſed inſuper habent gradus eſſentiales, quibus à ſe invicem diſcrepant; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Illud non eſt verum genus, reſpectu Dei, animæ rationalis & corporum, quod Deo propriè convenit; impropriè verò, animæ rationali & corporibus: atqui *ſubſtantia* ſic ſe habet. Convenit quidem propriè *Deo*, ut omnes fatentur; convenit autem impropriè animæ rationali & corporibus. Subſtantia namque impropriè tantùm convenit iis entibus, quæ per aliud ſubſiſtunt: atqui anima rationalis & corpora, per aliud ſubſiſtunt, nempè per Deum producentem & conſervantem; ergo, &c.

Nego minorem, quantùm ad poſteriorem partem. Ad probationem autem, diſtinguo majorem. Quæ ſubſiſtunt per aliud,

Digitized by Google

tanquàm per ſubjectum cui inhærent; ſeu cujus ſunt modificationes, concedo. Per aliud, tanquàm per cauſam, à quâ recipiunt exiſtentiam, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Itaque hæ voces, *per ſe ſubſiſtunt*, ſignificant modò independentiam, à ſubjecto inhæſionis; quo ſenſu, conveniunt animæ rationali & corporibus; modò independentiam à causâ; quo ſenſu, ſoli Deo conveniunt. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Quod ſignificat aliquid neceſſarium in Deo, & aliquid contingens, tùm in animâ rationali, tùm in corporibus, non eſt univocum, nec proindè genus illorum omnium entium reſpectu: atqui ſubſtantia ſic ſe habet; ergo, &c.

Nego minorem. Quod, enim in Deo abſtrahit ab exiſtendi neceſſitate, quodque in animâ rationali & corporibus abſtrahit à contingentiâ, nec ſignificat in Deo aliquid neceſſarium, nec quid contingens in animâ rationali & corporibus: atqui ſubſtantia ſic ſe habet. Nullum enim ſuperius, ſeu generalius, includit in ideâ ſuâ inferiora ſibi ſubjecta; nec proindè horum inferiorum differentias, ut probatum fuit; ergo, &c.

Inſtabis. Subſtantia, reſpectu Dei, vel ſignificat aliquid neceſſarium, vel aliquid

contingens : atqui non ſignificat aliquid contingens ; ergo ſignificat aliquid neceſſarium.

Nego majorem. Quod enim nec neceſſitatem exiſtendi , nec contingentiam , includit in idææ ſuâ , neutram , ex ejuſmodi modificationibus ſignificat : atqui ſubſtantia, nec neceſſitatem exiſtendi, nec contingentiam includit in idææ ſuâ , quandoquidem eſt aliquid generalius ejuſmodi modificationibus ; proindèque , &c.

Objicies. 3°. Si ſubſtantia eſſet genus , reſpectu Dei , Deus eſſet ſpecies : atqui Deus non poteſt dici ſpecies. Si enim dici poſſet ſpecies ; hæc ſpecies eſſet , vel ſubjicibilis , vel prædicabilis : atqui neutrum dici poteſt ; ergo Deus non eſt ſpecies ; ergo , &c.

Tranſeat major , nego minorem prioris ſillogiſmi. Quidquid enim eſt tota eſſentia multis communicabilis , dici debet vera ſpecies : atqui Deus eſt tota eſſentia , tribus perſonis Divinis communicabilis ; ergo , &c. Ad probationem autem , nego etiam minorem , quantùm ad utramque partem. 1°. Namque Deus eſt ſpecies ſubjicibilis , quia agnoſcit ſuprà ſe varia genera , ſcilicet , *ſpiritum* , *ſubſtantiam* , & *ens*. 2°. Eſt ſpecies prædicabilis , quia prædicatur de tribus perſonis Divinis , tan-

Digitized by Google

quàm tota earum eſſentia communis, & immultiplicabilis; proindèque, &c. Dixi autem, *tranſeat*, quia licet ſubſtantia ſit genus, verbi gratiâ, reſpectu Petri, non ideò Petrus eſt ſpecies.

Inſtabis. Quod nihil agnoſcit ſuprà ſe, non eſt ſpecies ſubjicibilis: atqui Deus nihil agnoſcit ſuprà ſe. Deus enim eſt ens ſupremum; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod nihil agnoſcit ſuprà ſe, *logicè*, ut aiunt, concedo.... phyſicè, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Illud dicitur habere aliquid ſuprà ſe, *logicè*, quo datur aliquid generalius, ſeu univerſalius. Illud autem agnoſcit aliquid ſuprà ſe phyſicè, quod ſuam recepit exiſtentiam à causâ. Reverà, &c. Ad id autem quod ſubjungitur, reſpondeo, Deum eſſe quidem, *ens ſupremum* phyſicè, quia eſt primaria cauſa phyſica omnium entium, extrà ſe poſitorum; ſed ipſum non eſſe, *ens ſupremum logicè*, ſeu genus univerſaliſſimum, quia non eſt de omnibus prædicabilis.

Objicies. 4°. Subſtantia non eſt genus, reſpectu illius entis, quod excludit genera: atqui Deus excludit genera. Omne namque genus eſt perfectibile per aliud: atqui Deus excludit perfectibile per aliud,

cùm ſit infinitè perfectus ; ergo , &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Quod enim eſt, ſpiritus , ſubſtantia & ens , componitur ex multiplici genere : atqui Deus eſt reipsâ , ſpiritus , ſubſtantia , & ens ; proindèque , &c. Ad probationem autem nego majorem. Cùm enim differentiæ generibus adjunctæ , nunquam ſint ipſis intrinſecæ , non poſſunt illa genera perficere. Ad id autem quod additur , reſpondeo, Deum excludere quidem perfectibile per aliud contingens ; non autem per aliud eſſentiale ; verbi gratiâ , ſi potentia cognoſcendi perficiatur in Deo per cognitiones , hæ cognitiones debent eſſe neceſſariò conjunctæ cum potentiâ cognoſcendi.

Inſtabis. Quod includit in idæâ ſuâ quaſlibet perfectiones , nihil habet perfectibile per aliud , etiam inſeparabile :: atqui , quidquid eſt in Deo , includit in idæâ ſuâ quaſlibet perfectiones ; ergo nihil eſt in Deo perfectibile per aliud , etiam inſeparabile.

1°. Nego majorem. Eo enim ipſo , quo aliquid includit in idæâ ſuâ quaſlibet perfectiones ; eo ipſo , per has eſſentialiter perficitur , & conſquenter eſt perfectibile. 2°. Nego minorem. Sunt enim in Deo gradus generici :: atqui gradus generici

non includunt in idæis ſuis quaſlibet perfectiones; ſed ab iis abſtrahunt; ſicut fuit probatum. Ubi notabis, unamquamque Dei perfectionem eſſe quidem infinitam in ſuo genere; at non idcircò quaſlibet perfectiones includit in idæâ ſuâ; nam, verbi gratiâ, cognitio Dei, quæ infinita eſt in genere cognitionis, non includit in idæâ ſuâ amorem, omnipotentiam, &c.

Objicies denique. Subſtantia non eſt genus, reſpectu entis ſimpliciſſimi: atqui Deus eſt ens ſimpliciſſimum; ergo, &c.

Nego minorem. Tùm quia ens ſimpliciſſimum repugnat: dum enim dicitur *ens*, aſſignatur genus; & cùm dicitur *ſimpliciſſimum*, affertur differentia. Tùm quia Deus componitur ex infinitis perfectionibus, ut omnes fatentur; ergo, &c. Deus quidem non componitur phyſicè; quia excludit à ſe partes ſubſtantiales; ſed infinitè componitur metaphyſicè; quia habet infinitas partes metaphyſicas.

Colliges Deum contineri in cathegoriâ ſubſtantiæ; quia vera eſt ſubſtantiæ ſpecies.

Dices tamen. Sanctus Auguſtinus ſeipſum arguit, quòd Deum collocaſſet in cathegoriâ ſubſtantiæ; ergo non eſt in eâ collocandus.

Diſtinguo antecedens. Eo ſenſu, quòd

crediderit Deum ſubſtare modificationibus contingentibus ſui perfectivis, concedo. Eo ſenſu, quòd crediderit Deum per ſe ſubſiſtere, ſeu nulli inhærere, nego.

De quantitate.

Circà quantitatem, unum tantùm hîc inquiritur, an ſcilicet numerus exiſtat à parte rei, ſeu independenter à mente humanâ. Ut ſolvatur hæc quæſtio,

Nota numerum ſumi, vel materialiter, vel formaliter. Numerus, materialiter ſumptus, nihil aliud eſt, præter ipſa objecta, quæ numerari poſſunt. Numerus autem formaliter ſumptus, eſt collectio unitatum, adeòque totorum, quæ numerantur.

Fatentur omnes numerum, materialiter ſumptum, exiſtere à parte rei; quia, nemine cogitante, exiſtunt entia, quæ habent ſingula ſuam unitatem, & conſequenter, quæ numerari poſſunt; ſed multi contendunt numerum, formaliter ſumptum, ſeu collectionem unitatum, non exiſtere à parte rei. Contrà eos ſit,

Concluſio.

Numerus, formaliter ſumptus, exiſtit à parte rei. Numerus enim, formaliter ſumptus, eſt certa quædam & determinata

congeries unitatum: atqui congeries illa exiſtit à parte rei. Ibi namque exiſtit unitatum determinata congeries, ubi exiſtunt multa tota, in ratione ſimili convenientia, & collecta: atqui exiſtunt à parte rei, multa ejuſmodi tota: nam, verbi gratiâ, ſi ſint in exercitu centum millia hominum, omnes ejuſmodi homines in ratione ſimili conveniunt; in eo nempè, quòd ſub eodem Duce militent, & in hâc ratione ſunt collecti; ergo exiſtit à parte rei, certa, determinataque congeries unitatum; ergo, &c.

Dices. Numerus, formaliter ſumptus, eſt unitatum collectio: atqui unitatum collectio non exiſtit à parte rei; collectio namque eſt actus colligentis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Eſt unitatum collectio paſſiva, concedo. Collectio activa, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam; proindèque, &c.

Quæres autem, an numerus ſit quantitatis ſpecies?

Reſpondeo numerum, formaliter ſumptum, non eſſe ſpeciem quantitatis. Quod enim non minùs patet, quàm quantitas, non eſt ejus ſpecies: atqui numerus, formaliter ſumptus, non minùs patet, quàm ipſa quantitas. Quod enim convenit omnibus quantitatis ſpeciebus, non minùs

patet, quàm quantitas: atqui numerus, formaliter ſumptus, convenit omnibus quantitatis ſpeciebus; convenit enim cuilibet multitudini, ut per ſe patet; ergo, &c.

De relatione.

Circà relationem, multæ moventur quæſtiones. Prima, circà ipſius naturam. Secunda, circà ipſius exiſtentiam. Tertia, circà ejus ſubjectum. Quarta, circà ipſius fundamentum. Quinta, circà terminum. Sexta denique, circà ejus ſpecies.

De naturâ relationis.

Relatio, ut diximus, eſt ordo unius ad aliud. Ambigitur autem quid ſit ille ordo. Alii quippè docent, ipſum nihil aliud eſſe, præter denominationem externam, à termino deſumptam. Alii volunt, ordinem illum eſſe aggregatum quoddam ex ſubjecto, fundamentis, & termino. Alii denique contendunt, ipſum eſſe veram modificationem ſubjecto ſuperadditam. Prætereà, dum agitur de relatione contingenti, dubitatur à quânam causâ phyſicâ producatur illa modificatio.

Dico autem 1°. relationem non eſſe denominationem extrinſecam, à termino deſumptam. Quod enim eſt quid intrin-

ſecum ſubjecto, dici non debet denominatio extrinſeca: atqui relatio, eſt quid intrinſecum ſubjecto: verbi gratiâ, dependentia entis creati, eſt quid intrinſecum enti creato; paternitas, eſt quid intrinſecum Patri, &c. ergo, &c.

Dico 2°. relationem non eſſe aggregatum quoddam ex ſubjecto, fundamentis, & termino. Quod enim ineſt ſubjecto, non idem eſt, ac id quod non ineſt ſubjecto: atqui relatio, ſeu ordo ineſt ſubjecto; verbi gratiâ, dependentia ineſt enti creato; aliundè verò, aggregatum ex ſubjecto, fundamentis & termino, dici non poteſt ineſſe ſubjecto, ut per ſe manifeſtum eſt; ergo, &c.

Dico igitur 3°. relationem eſſe modificationem ſubjecti. Quod enim exprimitur termino abſtracto, & definitur ab omnibus, tanquàm ens in alio, dici debet ſubjecti modificatio: atqui relatio ſic ſe habet; ergo, &c.

Dico denique, dum agitur de relationibus contingentibus, cauſam productivam fundamentorum proximorum, eſſe quoque cauſam productivam relationum. Cauſa namque productiva cujuſdam entis, eſt etiam cauſa productiva modificationum huic enti eſſentialium; verbi gratiâ, cauſa productiva corporis, eſt cauſa pro-

Digitized by Google

ductiva modificationum corpori eſſentialium : atqui relatio, eſt modificatio eſſentialis fundamento proximo ; ut conſtare debet ex eo, quòd fundamentum proximum nec eſſe, nec concipi poſſit, abſque relatione ; ergo, &c.

De exiſtentiâ relationis.

Fatentur omnes dari relationes, ſaltem per mentem ; ſed contendunt multi relationem non exiſtere poſitivè, ſeu à parte rei. Contrà eos ſit,

Concluſio.

Relationes exiſtunt poſitivè, ſeu à parte rei. Relationes enim ſunt entium quorumdam ordines ad alia entia : atqui tales ordines exiſtunt à parte rei. Diverſitates enim & ſimilitudines, ſunt ordines : atqui diverſitates & ſimilitudines, exiſtunt à parte rei. Ibi namque diverſitates & ſimilitudines exiſtunt, ubi exiſtunt diverſa & ſimilia ; abſtracta namque exiſtunt, ubi exiſtunt ; concreta, hoc eſt, formæ exiſtunt, ubi exiſtunt earum ſubjecta : atqui exiſtunt à parte rei entia diverſa, & entia ſimilia : verbi gratiâ, nemine cogitante, circulus & quadratum, ſunt figuræ diverſæ, & duo circuli ſunt figuræ ſimiles ; proindèque, &c.

Digitized by Google

Dices. Relatio eſt comparatio: atqui comparatio exiſtit tantùm in mente, cùm ſit actus comparantis; ergo, &c.

1°. Nego majorem. Quod enim antecedit comparationem, non eſt comparatio: atqui relatio antecedit comparationem. Priùs enim eſt entia eſſe, vel à ſe invicem diverſa, vel inter ſe ſimilia; quàm per comparationem detegantur vel ſimilia, vel diverſa.

2°. Diſtinguo majorem. Relatio, eſt comparatio paſſiva, tranſeat, ob rationem mox allatam. Relatio, eſt comparatio activè ſumpta, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam.

De ſubjecto relationis.

Unica difficultas occurrit ſolvenda circa ſubjectum relationis, an ſcilicet Deus eſſe poſſit ſubjectum relationis contingentis? Fatentur quidem omnes Philoſophi & Theologi, Deum eſſe ſubjectum relationum eſſentialium; ſed eorum nonnulli contendunt, Deum eſſe non poſſe ſubjectum relationum contingentium. Contrà eos ſit,

Concluſio.

Deus eſt ſubjectum relationum contingentium. Ille namque dici debet ſubjec-

Digitized by Google

tum relationum contingentium, qui dicit ordines, quos potuit non dicere: atqui Deus dicit ordines, quos potuit non dicere. Deus enim, ut Creator, dicit ordines ad entia creata; ut Redemptor, dicit ordines ad homines redemptos: atqui Deus potuit hos ordines non dicere. Qui enim liberè creavit & liberè redemit, potuit illos ordines non dicere: atqui Deus liberè creavit & liberè redemit, ut fatentur Adverſarii; ergo dicit ordines, quos potuit non dicere: ergo reipsâ eſt ſubjectum relationum contingentium.

Objectiones.

Objicies. 1°. Qui novas modificationes recipere non poteſt, non eſt ſubjectum relationum contingentium: atqui Deus non poteſt novas recipere modificationes; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Qui non poteſt recipere novas modificationes, ſubjecti ſui nullatenùs perfectivas, concedo. Subjecti ſui perfectivas, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Modificationes ſubjecti ſui perfectivæ dicuntur illæ, quibus exiſtentibus in ſubjecto, ſubjectum intelligitur perfectius & excellentius, & quibus abſentibus, à ſubjecto, ſubjectum intelligitur minùs perfectum,

Digitized by Google

tales ſunt virtus & ſcientia, reſpectu hominis. Modificationes ſubjecti ſui, nullatenùs perfectivæ, dicuntur illæ, quibus ſive præſentibus, ſive abſentibus, ſubjectum nec perfectius, nec minùs perfectum intelligitur; tales ſunt relationes ſimilitudinis, aut diverſitatis, inter duos parietes. Porrò Deus non poteſt quidem novas recipere modificationes ſui perfectivas; quia perfectiones omnes ſunt Deo eſſentiales; ſed Deus recipere poteſt novas modificationes ſui nullatenùs perfectivas. Evidens autem eſt, relationes Creatoris & Redemptoris eſſe modificationes Dei nullatenùs perfectivas; ex quo namque creavit & redemit, factus non eſt in ſe perfectior & excellentior.

Inſtabis. 1°. Qui eſt immutabilis, recipere non poteſt, novas modificationes, etiam ſui nullatenùs perfectivas: atqui Deus eſt immutabilis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Qui eſt immutabilis, eâ mutatione, quæ nec perfectionem, nec imperfectionem denotat, concedo. Eâ mutatione, quæ denotat imperfectionem, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Itaque duplex eſt mutatio, altera, quæ denotat imperfectionem; quòd multis modis contingere poteſt, ſicut intelligetur ex dicendis in Me-

taphyſicâ, ubi de immutabilitate Dei; altera verò, quæ neque perfectionem, neque imperfectionem denotat, ut ubi paries fit alteri ſimilis, aut ab eo diverſus. Reverâ, &c.

Inſtabis. 2°. In Deo nulla eſt viciſſitudinis obumbratio, ut loquitur Jacobus Apoſtolus; ergo Deus non eſt mutabilis, etiam eâ mutatione, quæ nullam denotat imperfectionem.

Nego conſequentiam. Ut enim nulla ſit in Deo viciſſitudinis obumbratio, ſufficit, quòd Deus ſit eſſentialiter immutabilis, ratione modificationum perfectivarum; nullatenùs autem requiritur, ut ſit immutabilis, ratione modificationum minimè perfectivarum; quia mutatio, ratione harum modificationum, ne quidem eſt umbra mutationis, ratione modificationum perfectivarum.

Objicies. 2°. Subjectum modificationum contingentium componitur phyſicè: atqui Deus non componitur phyſicè: ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim totum dicatur phyſicè compoſitum, non ſufficit, ſi recipiat modificationes contingentes; ſed requiritur inſuper, ut habeat partes, quæ ſint ſubſtantiæ. Porrò ſubjectum relationum contingentium, carere poteſt partibus, quæ ſint ſubſtantiæ, ſicut conſtat

de animâ rationali; proindèque, &c.

Inſtabis. Illud phyſicè componitur, quod conſtat partibus ſeparabilibus: atqui, quod eſt ſubjectum relationum contingentium, conſtat partibus ſeparabilibus; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod conſtat partibus, propriè ſeparabilibus, hoc eſt, quæ poſſunt ſeorſim à ſe invicem exiſtere, & conſequenter ſunt ſubſtantiæ, concedo. Quod conſtat ex partibus, impropriè ſeparabilibus, id eſt, ſine quibus totum exiſtere poſſit, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Solutio intelligitur, ex dictis, de ſeparabilitate.

Objicies denique. Deus non poteſt eſſe ſubjectum perfectionum contingentium: atqui relationes contingentes, ſunt perfectiones contingentes; ergo, &c.

Nego minorem. Modificationes enim non ſunt perfectiones, quibus exiſtentibus in ſubjecto, ſubjectum non intelligitur perfectiùs: at relationes contingentes ſic ſe habent, ut conſtat ex dictis; proindèque, &c.

Inſtabis. Modificatio perfecta, dici debet perfectio: atqui quælibet relatio contingens perfecta eſt: omne namque ens eſt in ſe perfectum; ergo, &c.

Nego majorem. Ut enim aliqua modificatio dicatur perfectio, non ſatis eſt, ſi

ſit in ſe perfecta: imò non ſufficit, ſi alias recipiat modificationes ſui perfectivas; ſed requiritur, ut ſubjecti ſui ſit perfectiva: perfectio namque, ut potè ens relativum, non deſumitur à perfecto, ſed à perfectivo. Porrò non omnes modificationes, ſubjectorum ſuorum ſunt perfectivæ, ut conſtat tùm de relationibus majoris aut minoris diſtantiæ, tùm de moleſtis animarum noſtrarum impreſſionibus, verbi gratiâ, de dolore, fame, ſiti, &c.

De fundamento relationis.

Unum tantùm hîc inquiritur, utrùm ſcilicet una relatio poſſit eſſe fundamentum alterius, id eſt, an una relatio poſſit eſſe ratio, propter quam, ipſius ſubjectum referatur ad terminum, diſtinctumà termino prioris relationis?

Concluſio.

Una relatio poteſt eſſe fundamentum alterius relationis. Nam ratio, propter quam unum ens refertur ad aliud, dicitur fundamentum relationis: atqui una relatio poteſt eſſe ejuſmodi ratio: nam, verbi gratiâ, filiatio in uno homine poteſt eſſe ratio, propter quam dicatur ſimilis alteri filio: proindèque, &c.

Dices. Si una relatio eſſet alterius fun-

Digitized by Google

damentum ; daretur relatio relationis : atqui hoc dici non poteſt ; ergo , &c.

Diſtinguo majorem. Daretur relatio relationis , in diverſo genere , concedo. In eodem genere , nego. Forſan igitur non datur relatio relationis , in eodem genere ; verbi gratiâ , non datur filiatio filiationis, quia una filiatio non poteſt eſſe fundamentum alterius filiationis ; ſed dari poteſt relatio relationis , in diverſo genere , quia filiatio poteſt eſſe fundamentum ſimilitudinis, cum alio filio. Dixi autem, forſan, quia reipsâ datur relatio relationis , in eodem genere : nam , verbi gratiâ , dantur ſimilitudinum ſimilitudines , in infinitum.

De termino relationis.

Circà terminum relationis , tria potiſſimùm inquiruntur. Primum , an terminus ſit de eſſentiâ relationis ? Secundum , an totuplex ſit relatio in aliquo ſubjecto , quotuplex eſt terminus, ad quem refertur ? Tertium , an terminus relationis ſit quid relativum , an verò quid abſolutum ? Ut ſolvantur hæc dubia , ſint ,

Concluſio prima.

Terminus, non eſt de eſſentiâ relationis. Quod enim eſt extrà relationem , non eſt

de

de ipſius eſſentiâ, ut per ſe patet: atqui terminus eſt extrà relationem: verbi gratiâ, Filius eſt extrà paternitatem, ſeu non eſt pars paternitatis, ut etiam per ſe manifeſtum eſt; ergo, &c. Et certè ſubſtantia non eſt pars eſſentialis modificationis: at terminus eſt ſæpè ſubſtantia, & relatio ſemper eſt modificatio; ergo terminus non eſt de eſſentiâ relationis; proindèque, &c.

Dices. Illud eſt de eſſentiâ relationis, ſine quo relatio nec eſſe, nec concipi poteſt: atqui, ſine termino, nec eſſe, nec concipi poteſt relatio; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Sine quo, tanquàm parte componente, concedo. Sine quo, præſuppoſito & connotato, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Porrò relatio, nec eſſe quidem, nec concipi poteſt ſine termino, tanquàm aliquo præſuppoſito & connotato, quia relatio præſupponit & connotat aliquid, ad quod ipſius ſubjectum referatur; ſed terminus nunquam poteſt eſſe pars componens relationem, quia ſemper eſt extrà relationem, & eſt quandoque ſubſtantia.

Inſtabis. Quidquid ponitur in definitione relationis, eſt ipſi intrinſecum: atqui terminus ponitur, &c. ergo, &c.

Digitized by Google

Diſtinguo majorem. Quidquid ponitur in definitione relationis, tanquam ejus differentia conſtitutiva, concedo. Tanquam aliquid præſuppoſitum & connotatum, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Hoc igitur eſt diſcrimen inter definitionem entis abſoluti, & definitionem entis relativi, quod in priore nihil ſit apponendum, quod non ſit pars ejus eſſentialis; in poſteriore verò, debeat exprimi præſuppoſitum aliquid & connotatum: Entia namque relativa non poſſunt aliter cognoſci, quàm per ordines ad terminos.

Concluſio ſecunda.

In ſubjecto quovis totuplex eſt relatio, quotuplex eſt terminus, ad quem refertur. Quæ enim ſunt vel diverſa, vel ſimilia, prout termini ſunt vel diverſi, vel ſimiles, quæque definiuntur per ordines ad terminos; tot ſunt numero, quot ſunt ejuſmodi termini: atqui relationes ſunt vel diverſæ, vel ſimiles, prout earum termini ſunt vel diverſi, vel ſimiles; quandoquidem, juxtà Philoſophos, relationes ſpecificantur à terminis; aliundè verò relationes definiuntur, per ordines ad terminos, ut iidem fatentur; ergo, &c. Ubi porrò dicunt Philoſophi, relationes ſpecificari à terminis;

Digitized by Google

hoc intelligendum eſt non eo ſenſu, quòd termini ſint relationum differentiæ ſpecificæ; ſed eo tantùm ſenſu, quòd relationes ſint, aut diverſæ, aut ſimiles, prout earum termini ſunt vel diverſi, vel ſimiles.

Objicies. Si totuplex eſſet relatio in ſubjecto, quot ſunt termini, ad quos refertur, tot eſſent in eodem homine paternitates, quot haberet liberos: atqui hoc dici non poteſt. Tam enim ſufficit unica paternitas, ut homo referatur ad omnes ſuos liberos; quàm ſufficit unica albedo in pariete, ut ad omnes parietes albos referatur: atqui ſufficit unica albedo; ergo pariter ſufficit unica paternitas; proindèque, &c. ergo, &c.

Nego minorem prioris ſillogiſmi. Nam, juxtà omnes Philoſophos, correlationes ſunt ſimul naturâ, hoc eſt, quo momento exiſtit relatio in ſubjecto, eodem momento exiſtit relatio in termino: at, ſi eſſet unica paternitas in homine, ſex, verbi gratiâ, liberos habente; tunc correlationes non eſſent ſimul naturâ, quia exiſteret paternitas ante ſextam filiationem. Ad probationem autem, nego majorem: quia paternitas comparari non debet cum albedine, ſed cum ſimilitudine; undè quemadmodùm non eſt unica ſimilitudo in pa-

riete, versùs multos parietes; ſic non eſt unica paternitas in homine, versùs multos liberos.

Inſtabis. Si multæ eſſent paternitates in eodem homine, idem homo dici poſſet multiplex pater: abſurdum conſequens, ergo, &c.

Nego ſequelam. Nam idem homo foret quidem multoties pater, ſed non eſſet multiplex pater; nec enim ſubjectum multiplicatur, pro multitudine modificationum.

Corollaria.

Primum. Genus diverſas dicit relationes, ad diverſas ſpecies ſibi ſubjectas; quia hæ ſpecies ſunt termini diverſi.

Secundum. Species diverſas dicit relationes ad genus, & ad individua ſibi ſubjecta; quia genus & individua, ſunt termini diverſi.

Tertium. Species omnes ejuſdem generis, ſimiles habent relationes ad ſua genera; quia hæc genera ſunt termini ſimiles.

Quartum. Species infima ſimiles tantùm dicit relationes ad ſua individua; quia hæc individua ſunt inter ſe neceſſariò ſimilia.

Concluſio tertia.

Terminus pro illo inſtanti originis, quo

Digitized by Google

ponitur, ut exurgat relatio in ſubjecto, eſt quid abſolutum. Niſi namque terminus eſſet abſolutus, pro illo inſtanti originis, relatio quam haberet per illud inſtans, prior eſſet relatione ſubjecti : atqui terminus non poteſt habere relationem, quæ ſit prior relatione ſubjecti : alioqui correlationes non eſſent ſimul naturâ & cognitione ; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Si terminus eſſet abſolutus pro inſtanti, quo ponitur, ut exurgat relatio in ſubjecto ; filius pro illo inſtanti non haberet filiationem : atqui filius pro quovis inſtanti habere debet filiationem, alioqui non eſſet filius ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Filius pro aliquo inſtanti, non haberet filiationem, quæ foret ipſius ordo ad patrem, concedo. Non haberet filiationem ipſius conſtitutivam in ratione perſonæ, nego. Diſtingue pariter minorem, &c. Itaque filiatio, prout conſtitutiva filii, in ratione perſonæ, pro quovis inſtanti convenit filio ; at filiatio, prout eſt conſtitutiva filii, per ordinem ad patrem, non convenit filio pro quovis inſtanti ; quia filius conſtitui debet in ratione entis abſoluti, ſeu in ratione perſonæ, priuſquàm conſtituatur in ratione

entis relativi: priùs enim eſt, eſſe conſtitutum, ſecundùm ſe, quàm eſſe relativum ad aliud.

Inſtabis. Si filiatio, prout conſtituit filium, in ratione perſonæ, prior eſſet filiatione conſtitutiva filii, ut filii, aliquid dici poſſet alio prius, dum agitur de perſonis Divinis: atqui dum agitur de perſonis Divinis, nihil eſt alio prius; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Aliquid dici poſſet altero prius origine, ſeu, ut aiunt, pro inſtanti à quo, concedo. Alio prius naturâ, ſeu pro inſtanti in quo, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Tunc unum dicitur altero prius pro inſtanti à quo, quando vel eſt ejus origo, vel principium, vel ratio cur ſit aliud, vel conditio, ſine quâ non eſſet aliud. Tunc unum eſt prius altero, pro inſtanti in quo, quando vel eſt antiquius ipſo, vel eſt ejus cauſa phyſica. Reverâ, &c.

Quæ dicta ſunt de filiatione ſpectatâ, vel ſub duplici reſpectu, vel ſub duplici officio, intelligenda ſunt, proportione ſervatâ, tùm de Paternitate, tùm de Spiratione, ſive activâ, ſive paſſivâ.

Objicies. 2°. Paternitas, eſt terminus ſimilitudinis alterius patris: atqui pater-

nitas illa, eſt quid relativum, imò eſt vera relatio; ergo, &c.

Diſtinguo minorem. Paternitas illa, eſt quid relativum, reſpectu filii, concedo. Reſpectu alterius Patris, nego. Diſtingue pariter conſequens. Reverâ, &c.

Concluſio quarta.

Terminus relativus, eſt pro omnibus inſtantibus, quibus ſubjectum eſt relativum. Niſi namque terminus eſſet relativus, pro omnibus illis inſtantibus, correlationes non eſſent ſimul naturâ & cognitione: atqui tamen, juxtà omnes Philoſophos, correlationes ſunt ſimul naturâ & cognitione; proindèque, &c.

Colliges terminum relationis eſſe abſolutum, pro eo ſolo inſtanti originis, quo poni debet, ut exurgat relatio in ſubjecto.

De ſpeciebus relationis.

Relatio diſtribuitur in eſſentialem & contingentem, circà quam diſtributionem multa hîc inquiruntur.

Quæres igitur 1°. an relatio, ut ſic, ſeu generatim ſumpta, eſſentialis ſit, an contingens?

Reſpondeo, ipſam ſic ſumptam, neque eſſentialem, neque contingentem eſſe; quia ſcilicet nullum genus includit in ideâ

ſuâ differentias, ſpecierum ſuarum conſtitutivas.

Quæres 2°. an quælibet relationis ſpecies collocari poſſit in cathegoriâ?

Reſpondeo, quamlibet relationis ſpeciem collocari poſſe in cathegoriâ, ſeu, ut aiunt, cathegoricam eſſe. Quod enim eſt vera ſpecies, tùm generis ſupremi, tùm relationis univerſim ſumptæ, collocari poteſt in cathegoriâ relationis: atqui quælibet relationis ſpecies ſic ſe habet; proindèque, &c.

Quæres 3°. an aliqua relatio eſſentialis dici poſſit gradus ſpecificus ſui ſubjecti?

Reſpondeo, nullam relationem eſſentialem dici poſſe gradum ſubjecti ſui ſpecificum; quia priùs eſt, ens eſſe conſtitutum in ſe, quàm eſſe conſtitutum in ordine ad aliud.

Quæres denique, an ad exiſtentiam relationis in ſubjecto, requiratur exiſtentia termini?

Reſpondeo 1°: ad exiſtentiam relationis eſſentialis in ſubjecto, non requiri exiſtentiam termini, ſed ejus poſſibilitatem ſufficere; quia nempè relatio eſſentialis habet pro termino poſſibilitatem termini: verbi gratiâ, omnipotentia Divina dixit ab æterno relationem ad poſſibilitatem, ſeu producibilitatem entium.

Digitized by Google

Reſpondeo 2°. ad exiſtentiam relationis contingentis, cujus paſſio eſt fundamentum proximum, non requiri pariter exiſtentiam termini; quia ſcilicet eo ipſo, quo ſubjectum recipit fundamentum proximum, jam dicit ordines ad poſſibilia: verbi gratiâ, quando paries recipit albedinem, quæ eſt fundamentum proximum ſimilitudinis, jam dicit ordines ad parietes albos poſſibiles.

Reſpondeo 3°. ad exiſtentiam relationis contingentis, cujus actio eſt fundamentum proximum, requiri exiſtentiam termini; quia ſcilicet actio non poteſt exiſtere, quin exiſtat aliquod productum.

De actione.

Actio definitur à nonnullis, complementum, ſeu perfectio potentiæ. Verùm legitima non eſt hæc definitio: tùm quia quædam actiones non perficiunt agens; quales ſunt creatio, conſervatio, redemptio: tùm quia quidam actus, nedum perficiant ſubjectum, ipſum reddunt deterius; quales ſunt actus moraliter mali, in homine.

Actio igitur definiri debet, exercitium potentiæ activæ.

Terminus actionis, ſeu id quod produ-

citur, eſt vel ſubſtantia, vel modificatio; undè duplex diſtinguitur actio, creatio, & eductio. Creatio, eſt productio ſubſtantiæ; eductio verò, productio modificationis.

Quærunt hîc Logici, an actio poſitivè diſtinguatur ab agente?

Reſponſio facilis eſt in noſtris principiis; nam actio poſitivè modaliter diſtinguitur, à ſubſtantiâ agente; poſitivè verò, formaliter, à potentiâ agente.

De ſignis.

Circà ſigna, duo præſertim hîc inquiruntur. 1°. An voces ſint ſigna arbitraria? 2°. An voces primariò ſignificent idæas noſtras formales, an autem entia, per idæas formales repræſentata?

Concluſio prima.

Voces ſunt ſigna arbitraria. Quæ enim diverſa ſunt apud diverſos populos, & quorum ſignificatio fuit dependens à libero hominum inſtituto, dici debent ſigna arbitraria: atqui voces ſic ſe habent, experientiâ teſte; ergo, &c.

Dices. 1°. Niſi voces eſſent ſigna naturalia; tam inſipiens, quàm ſapiens potuiſſet nomina rebus imponere: atqui, juxtà

Digitized by Google

Philoſophos, ſolius ſapientis eſt, nomina rebus imponere.

1°. Nego ſequelam. Signorum enim naturalium ſignificatio non pendet ab homine, vel ſapiente. 2°. Nego minorem. Quilibet enim homo, ſive ſapiens, ſive inſipiens, potuit ſonum articulatum adhibere, ut objectum quodvis primùm ſignificaret. Quòd ſi nomina ſint complexa, & ex vocibus uſu receptis fuerint conflata, ita ut per complexionem hanc, vel natura, vel proprietas entis ſignificetur; tunc ſolius eſt ſapientis, ejuſmodi nomina rebus imponere.

Dices 2°. Loquela hominibus eſt naturalis; ergo voces quædam naturaliter ſignificant.

Nego conſequentiam. Ex eo namque quòd loquela ſit hominibus naturalis, ſequitur quidem naturale eſſe hominibus, cogitationes ſuas ſignis quibuſdam manifeſtare poſſe; ſed nullatenùs ſequitur ſigna, quibus utuntur, eſſe naturalia.

Dices denique, *pipire* (quæ vox pullorum ſignificat clamorem) naturaliter ſignificat; ergo voces quædam naturaliter ſignificant.

Nego antecedens: quia non eadem eſt allata vox, apud omnes populos: clamor quidem pullorum, eſt ſignum naturale;

Digitized by Google

ſed vox, quâ homines utuntur, ad clamorem illum ſignificandum, non eſt ſignum naturale.

Concluſio ſecunda.

Voces primariò ſignificant entia ipſa, vel per idæas repræſentata, vel per aliud medium cognita. Voces enim primariò ſignificant ea, in quorum notitiam, primùm devenimus, auditis vocibus; & ad quæ ſignificanda, fuerunt primùm deſtinatæ: atqui, auditis vocibus, ſtatim devenimus in notitiam ipſorum entium; & rarò contingit, ut tunc attendamus ad cogitationes loquentium: aliundè verò, voces fuerunt primùm deſtinatæ, ad ipſa entia ſignificanda, ut conſtare debet ex eo quòd, ad inſtituendam ſocietatem civilem, objecta fuerint appellanda & ſignificanda; proindèque, &c.

Dices. Humana ſocietas conſiſtit in manifeſtatione cogitationum; ergo voces excogitatæ fuerunt ad ipſas manifeſtandas.

Diſtinguo antecedens. Conſiſtit in manifeſtatione cogitationum objectivarum, concedo. In manifeſtatione cogitationum formalium, nego.

SECUNDA PARS LOGICÆ.

De judicio.

JUDICIUM definiri debet actus intellectûs, dicentis habitudinem prædicati ad ſubjectum; hinc in oratione judicii manifeſtativâ, ſeu in propoſitione, quatuor ſunt diſtinguenda; ſubjectum, prædicatum, verbum, & habitudo prædicati ad ſubjectum, de quibus dictum fuit. Propoſitio diſtribui poteſt in ſimplicem, complexam & compoſitam, in abſolutam & modalem. De ſingulis his ſpeciebus, eſt dicendum; ita ut quæcumque dicturi ſumus de propoſitione, intelligenda ſint de judicio.

De propoſitione ſimplici.

Propoſitio ſimplex eſt ea, cujus unicum eſt ſubjectum, & unicum prædicatum; ita ut nihil fuerit additum, nihilque ſubaudiatur addendum, ſive ſubjecto, ſive prædicato; qualis eſt hæc propoſitio... *Deus eſt omnipotens*. Ut natura propoſitionis

Digitized by Google

ſimplicis evolvatur, examinabimus ejus materiam, formam, quantitatem, qualitatem, converſionem, ejus oppoſitionem cum aliâ, & ipſius cum aliâ æquipollentiam. Tùm trademus regulas quaſdam circà propoſitiones ſimplices.

De materiâ propoſitionis ſimplicis.

Propoſitio ſpectata, ratione materiæ, ſeu ratione objecti, circà quod verſatur, duplex tantùm eſſe poteſt, neceſſaria, & contingens. Propoſitio in materiâ neceſſariâ, dici debet ea, in quâ habitudo prædicati ad ſubjectum, includitur in ideâ totali ſubjecti. Propoſitio in materiâ contingenti, dici debet ea, in quâ habitudo prædicati ad ſubjectum, nec includitur in ideâ ſubjecti, nec ab eâ excluditur.

Habitudo nihil aliud eſt, quàm ordo, ſeu relatio prædicati ad ſubjectum; & duplex eſt in unâquâque materiâ, ſcilicet, inſeparabilitas, & incompatibilitas, in materiâ neceſſariâ; conjunctio verò, & ſeparatio, in materiâ contingenti.

Tunc habitudo vocatur *inſeparabilitas*, quando prædicatum includitur in ideâ totali ſubjecti: ut in hâc propoſitione, *Deus eſt omnipotens.* Tunc autem vocatur *incompatibilitas*, quando prædicatum eſt inſociabile cum partibus eſſentialibus ſub-

Digitized by Google

jecti; ut in hâc propoſitione, *lapis non eſt intelligens.* Tunc habitudo dicitur *conjunctio*, quando prædicatum, nec includitur in idæâ ſubjecti, nec ab eâ excluditur; ſed adeſt motivum aliquod, certò denotans unionem prædicati cum ſubjecto; ut ubi dicitur, *corpora ſunt exiſtentia.* Tunc habitudo vocatur *ſeparatio*, quando prædicatum non excluditur ab idæâ ſubjecti; ſed adeſt motivum, certò denotans ejus ſeparationem à ſubjecto.

De formâ propoſitionis.

Forma propoſitionis, eſt ejus terminorum diſpoſitio. Parùm autem intereſt, an hoc, vel illo modo diſponantur; undè terminorum diſpoſitio locum tantum habet, dum agitur de propoſitionibus ſillogiſmum componentibus.

Obſervant hîc Peripaterici, propoſitionem, ratione formæ ſpectatam, triplicis eſſe generis, de primo, de ſecundo, & de tertio adjacente. Propoſitio dicitur ab ipſis, de primo adjacente, quando ſubjectum prædicatum & verbum, unicâ voce ſignificantur; ut ubi dicitur, *lego.* Propoſitio dicitur de ſecundo adjacente, quando prædicatum & verbum, unicâ voce exprimuntur; ut ubi dicitur, *Petrus legit.* Denique dicitur de tertio adjacente, quando

ſubjectum prædicatum & verbum, diſtinctis vocibus exprimuntur; ut ubi dicitur, *Petrus eſt legens.*

Hæc ſatis ineptè dicta ſunt, ſed nullius ſunt momenti.

De quantitate propoſitionis.

Propoſitio ſpectata, ratione quantitatis, quadruplex eſt, univerſalis, particularis, indefinita, & ſingularis; undè propoſitionis quantitas nihil aliud eſt, quàm extenſio ipſius ſubjecti.

Propoſitio univerſalis, eſt ea, cujus ſubjectum eſt aliquod univerſale, ſumptum univerſaliter, id eſt, ſumptum pro omnibus ſuis inferioribus: hæ voces, *omnis*, *quilibet*, *nullus*, ſubjecto præfixæ, denotant ſubjectum univerſaliter accipi.

Nota tamen vocem hanc, *omnis*, præfixam ſubjecto, non ſemper eſſe ſignum univerſalitatis propoſitionis: eſt enim quandoque ſignum ſingularitatis; quod ut dignoſcas, ſint duæ regulæ ſequentes.

Prima. Quoties prædicatum propoſitionis dici poteſt, de unoquoque inferiore ſubjecti; toties ſupradicta vox, præfixa ſubjecto, ſignificat propoſitionem eſſe univerſalem; verbi gratiâ, ſi dicatur... Omne corpus eſt diviſibile, quoniam prædicatum dici poteſt de corpore quovis ſingu-

lari; ideò ſupradicta vox ſignificat ſubjectum propoſitionis univerſaliter ſumi, & conſequenter propoſitionem eſſe univerſalem.

Secunda. Quoties prædicatum propoſitionis dici non poteſt, de unoquoque ſubjecti inferiore; toties vox *omnis* ſignificat propoſitionem eſſe ſingularem: verbi gratiâ, ſi dicatur, omnes Apoſtoli erant duodecim, quoniam prædicatum dici non poteſt de unoquoque Apoſtolo; ideò vox ſupradicta, ſignificat propoſitionem eſſe ſingularem: ſenſus enim eſt... Collectio Apoſtolorum eſt numerus duodenarius.

Duobus modis, propoſitio poteſt eſſe univerſalis, moraliter & metaphyſicè. Tunc propoſitio dicitur moraliter univerſalis, quando ſignificat prædicatum, ut plurimùm, eſſe conjunctum cum ſubjecto, ſi ſit affirmans; aut, ut plurimùm, eſſe ſeparatum à ſubjecto, ſi ſit negans: tales ſunt hæ propoſitiones. Omnes Europæani ſunt generoſi... Mulieres non ſunt doctæ. Tunc autem propoſitio dicitur univerſalis metaphyſicè, quando nulla eſt omninò exceptio. Hinc propoſitiones, moraliter univerſales, reperiri tantùm poſſunt in materiâ contingentis; & univerſales metaphyſicè, in ſolâ materiâ neceſſariâ.

Propoſitio particularis, eſt ea, cujus ſub-

jectum eſt terminus univerſalis, ſed ſumptus pro quibuſdam tantùm ſuis inferioribus : quod deſignatur per has, aut ſimiles voces ſubjecto præfixas, *aliqui*, *quidam*, *nonnulli*; tales ſunt hæ propoſitiones, quidam homines ſunt Philoſophi... Quidam homines non ſunt Philoſophi.

Propoſitio indefinita dicitur ea, cujus ſubjectum eſt terminus univerſalis, cui nullum præfixum fuit ſignum, aut univerſalitatis, aut particularitatis; quales ſunt hæ propoſitiones... Subſtantia per ſe ſubſiſtit... Homo non eſt doctus, &c.

Propoſitio ſingularis, eſt ea, cujus ſubjectum eſt aliquod individuum determinatum; qualis eſt hæc propoſitio... Alexander vicit Darium. Docent Philoſophi, propoſitiones ſingulares revocari ad univerſales; indefinitas verò, modò ad univerſales, modò ad particulares; undè habent tantùm rationem univerſalium & particularium. Hanc Philoſophorum opinionem ad examen revocabimus, in Concertationibus circà judicium.

De qualitate propoſitionis.

Propoſitio ſpectata, ratione qualitatis, diſtribui debet 1°. In affirmantem & negantem. 2°. In veram & falſam. 3°. In certam & incertam. 4°. In evidentem &

inevidentem, quarum omnium ſpecierum definitiones traditæ ſunt.

Certitudo triplex diſtingui debet; nimirùm, ratione objecti, ratione motivi, & ratione ſubjecti.

Certitudo, ratione objecti, eſt ipſius immutabilitas, quantùm ad partes ipſum componentes.

Certitudo motivi, eſt infaillibilis ejus connexio, cum eo quod cognoſcitur; & ſubdiſtribuitur in Metaphyſicam, Phyſicam & Moralem. Metaphyſica vocatur, quando motivum eſſentialem habet connexionem cum objecto cognito. Phyſica dicitur, quando, juxtà leges ordinarias, infaillibilem habet connexionem cum objecto cognito. Denique vocatur Moralis, quando connexionem habet, ita probabilem, ut vir prudens ex illo motivo judicare poſſit.

Certitudo ſubjecti, eſt perſonæ cognoſcentis imperturbabilitas, orta ex motivo firmo & laudabili.

De converſionibus propoſitionum.

Converſio propoſitionis definiri debet, mutatio prædicati in ſubjectum, & ſubjecti in prædicatum, ſervatâ ſemper qualitate: verbi gratiâ, hæc propoſitio.... Nullum corpus eſt ſpiritus, ſic converti-

tur; nullus ſpiritus eſt corpus: qualitas autem ſervari dicitur, quando affirmans, in affirmantem; negans, in negantem; vera, in veram, &c. convertitur. Propoſitio, quæ convertenda proponitur, vocatur *converſa*; quæ verò reſultat ex terminorum tranſpoſitione, vocatur *convertens*.

Triplex admittitur converſionis ſpecies, ſimplex, per accidens, & per contra-poſitionem.

Converſio ſimplex, dicitur ea, in quâ ſervatur eadem quantitas, id eſt, in quâ univerſalis in univerſalem, & particularis in particularem convertitur; verbi gratiâ, nullus homo eſt lapis... nullus lapis eſt homo.... aliqui homines ſunt docti; aliqui docti ſunt homines.

Converſio per accidens, dicitur ea, in quâ mutatur propoſitionis quantitas: ut omnis ſpiritus eſt ſubſtantia; aliqua ſubſtantia eſt ſpiritus.

Converſio per contra-poſitionem, vocatur ea, in quâ termini poſitivi mutantur in infinitantes: ut aliqui homines non ſunt docti; aliqui non docti, non ſunt, non homines.

Ut autem intelligas, quænam propoſitiones converti poſſint ſimpliciter; quænam per accidens, & quænam per contra-

poſitionem; ſequentes proponunt verſiculos.

Feci ſimpliciter convertitur : Eva per accid.
Aſto , per contrap ; ſic fit converſio tota.

In his verſiculis, conſiderandæ ſunt tres hæ voces, *feci*, *eva*, *aſto* : & in his vocibus, conſiderandæ ſunt quatuor vocales, *a*, *e*, *i*, *o*. Vocalis, *a*, deſignat propoſitionem univerſalem affirmantem : vocalis, *e*, univerſalem negantem : vocalis, *i*, particularem affirmantem ; & vocalis, *o*, denotat particularem negantem, juxtà hos alios verſiculos.

Aſſerit, a, *negat*, e ; *verum generaliter ambæ.*
Aſſerit, i, *negat*, o ; *ſed particulariter ambæ.*

His præſuppoſitis, priores verſiculos ſic explicant. *Feci ſimpliciter convertitur*, id eſt, propoſitiones deſignatæ per vocales, *e* & *i*, ſcilicet univerſales negantes, & particulares affirmantes convertendæ ſunt ſimpliciter : verbi gratiâ, nulla virtus eſt turpis, nullum turpe eſt virtus... Quidam homines ſunt docti, quidam docti ſunt homines.

Eva per accid, id eſt, propoſitiones deſignatæ per vocales, *e* & *a*, nimirùm univerſales negantes, & univerſales affirmantes, convertendæ ſunt per accidens,

hoc modo... Nulli homines ſunt lapides; quidam lapides non ſunt homines... Omnis homo eſt ſubſtantia, aliqua ſubſtantia eſt homo.

Aſto per contrap, id eſt, propoſitiones deſignatæ per vocales, *a* & *o*, ſcilicet, univerſales affirmantes, & particulares negantes, convertendæ ſunt per contrapoſitionem, hoc modo... Omnis virtus eſt honeſta, omne non honeſtum eſt non virtus... Aliquis homo non eſt Philoſophus; aliquis non Philoſophus, non eſt, non homo.

Ex his omnibus colligitur, 1°. univerſales negantes converti poſſe, vel ſimpliciter, vel per accidens. 2°. Univerſales affirmantes converti poſſe, vel per accidens, vel per contra-poſitionem. 3°. Particulares affirmantes, converti tantùm poſſe ſimpliciter. 4°. Particulares negantes, ſolummodò converti poſſe, per contra-poſitionem.

Probabimus in Concertationibus, univerſales negantes in materiâ neceſſariâ, converti poſſe ſimpliciter, non autem per accidens. Deinde, cæteras propoſitiones nullatenùs converti poſſe.

De propoſitionum oppoſitione.

Oppoſitio propoſitionum, definiri ſolet

duarum propoſitionum, eodem ſubjecto, eodemque prædicato conſtantium pugna; vel ſecundùm quantitatem tantùm, vel ſecundùm qualitatem tantùm, vel ſecundùm quantitatem & qualitatem ſimul.

Quatuor vulgò numerantur oppoſitionis ſpecies: contradictoria, contraria, ſubcontraria, & ſubalterna.

Oppoſitio contradictoria, dicitur ea, quæ reperitur inter duas propoſitiones, quæ pugnant inter ſe, ſecundùm quantitatem & qualitatem ſimul; ut omnis homo eſt juſtus... Aliquis homo non eſt juſtus.

Oppoſitio contraria, vocatur ea, quæ occurrit inter duas propoſitiones univerſales, quarum una affirmat, & altera negat: ut inter has, omnis homo eſt juſtus... nullus homo eſt juſtus.

Oppoſitio ſubcontraria, dicitur ea, quæ reperitur inter duas propoſitiones particulares, quarum una affirmat, & altera negat: ut inter has... Aliquis homo eſt juſtus... aliquis homo non eſt juſtus.

Oppoſitio ſubalterna, vocatur ea, quæ reperitur inter duas propoſitiones, quæ vel ſunt ambæ affirmantes, vel ambæ negantes; ſed quarum una eſt univerſalis, & altera particularis: ut, omnis homo eſt mortalis, aliquis homo eſt mortalis...

Digitized by Google

Nullus homo eſt ſapiens, aliquis homo non eſt ſapiens.

Circà has oppoſitionis ſpecies, obſervant Peripatetici, 1°. Oppoſitionem contradictoriam, omnium eſſe maximam; & earum unam ſemper eſſe veram, & alteram falſam, ſive in materiâ neceſſariâ, ſive in materiâ contingenti. 2°. Contrariarum, unam eſſe veram, & alteram falſam, in materiâ neceſſariâ; & utramque poſſe eſſe falſam, in materiâ contingenti. 3°. Subcontrariarum, unam eſſe veram, & alteram falſam, in materiâ neceſſariâ; & utramque eſſe poſſe veram, in materiâ contingenti. 4°. denique. Subalternarum, unam eſſe poſſe veram, & alteram falſam, in materiâ contingenti; & utramque eſſe vel veram, vel falſam, in materiâ neceſſariâ.

Hæc omnia falſa eſſe, probabitur in Concertationibus. Interim circà propoſitionum oppoſitiones, ſic eſt ſtatuendum. 1°. Nulla eſt propoſitionum oppoſitio, niſi penès veritatem & falſitatem. 2°. Duplex tantùm eſt propoſitionum oppoſitio, contradictoria & contraria; ſed quæ longè aliter definiendæ ſunt, quàm fuerunt à Peripateticis definitæ.

Oppoſitio contradictoria, dici debet ea, quæ reperitur inter duas propoſitiones, quarum

quarum una affirmat de ſubjecto, quod altera negat de eodem ſubjecto, ſub eodem reſpectu conſiderato; hinc ſequentes propoſitiones ſunt contradictoriæ... Petrus cras è vivis excedet... Petrus cras è vivis non excedet.

Oppoſitio contraria, dici debet ea, quæ reperitur inter propoſitiones, quarum una affirmat de ſubjecto prædicatum, & altera affirmat de eodem ſubjecto prædicatum aliud, cum priori inſociabile: ſic hæ duæ propoſitiones opponuntur contrariè.... Mundus eſt exiſtens neceſſariò... Mundus eſt exiſtens contingenter.

De propoſitionum æquipollentiâ.

Propoſitionum æquipollentia, definitur à Peripateticis, duarum propoſitionum oppoſitarum reductio ad eundem valorem. Hæc autem reductio perfici debet, inquiunt, ope particulæ, *non*, vel præfixæ, vel poſtpoſitæ ſubjecto alterutrius oppoſitarum. Ut autem intelligatur quandonam hæc particula ſit præfigenda, quandonam autem ſit poſtponenda ſubjecto, ſequentem proponunt verſiculum.

Præcontradic: poſt contrar; præpoſtque ſubaltern.

Hoc eſt, ut contradictoriæ fiant æqui-

pollentes, particula, *non*, præfigenda eſt alterutrius ſubjecto. Ut contrariæ & ſubcontrariæ fiant æquipollentes, eadem particula poſtponenda eſt alterutrius ſubjecto. Denique, ut æquipolleant ſubalternæ, eadem particula præfigenda eſt, & poſtponenda alterutrius ſubjecto.

Ratio eſt, inquiunt, quia particula, *non*, malignantis eſt naturæ; in quantùm, ſi reperiatur in propoſitione ſimplici, deſtruit quidquid ipſam ſequitur; id eſt, ſi præfigatur ſubjecto, deſtruit quantitatem & qualitatem propoſitionis; ſi verò poſtponatur ſubjecto, ſolam propoſitionis qualitatem deſtruit.

Quandoquidem autem errarunt Peripatetici, circà propoſitionum oppoſitiones, conſequens fuit, ut errarent circà earum æquipollentiam: imò non ſatis exploratam habuerunt naturam particulæ negativæ; ſicut intelligetur ex dicendis.

Regulæ circà propoſitiones ſimplices.

Prima. Ut propoſitio affirmans, in materiâ neceſſariâ, vera ſit, requiritur, ut attributum includatur in idæâ totali ſubjecti, & ut ſit pars ejus eſſentialis. Ut autem aſſeratur vera, prædicatum deprehendi debet, incluſum in illâ idæâ. Prætereà, ut propoſitio negans vera ſit in

Digitized by Google

eâdem materiâ, requiritur, ut prædicatum excludatur ab idæâ totali ſubjecti, ſeu ut ſit inſociabile cum aliquâ parte eſſentiali hujus ſubjecti; & ut aſſeratur vera, prædicatum illud debet deprehendi incompatibile, cum aliquâ parte eſſentiali cognitâ ſubjecti.

Secunda. Ut propoſitio affirmans in materiâ contingenti, vera ſit, requiritur, ut attributum reipsâ ſit conjunctum cum ſubjecto: ut autem aſſeratur philoſophicè vera, prædicatum illud, per motivum ab idæis diverſum, & evidenter cognitum, deprehendi debet reipsâ, cum ſubjecto conjunctum. Prætereà, ut propoſitio negans vera ſit in eâdem materiâ, prædicatum debet reipsâ deprehendi ſeparatum à ſubjecto: & ut dicatur philoſophicè vera, requiritur ut adſit motivum, ab idæis diverſum, & per ſenſum intimum notum, habens connexionem infaillibilem cum illâ ſeparatione.

Tertia. Quoties ſubjecto propoſitionis indefinitæ, enuntiantis vel inſeparabilitatem, vel unionem, præfigitur ſignum univerſalitatis; toties veritas ejus permanet eadem, quia talis indefinita revocatur ad univerſalem. Quod ſi propoſitio indefinita enuntiet incompatibilitatem, ſervabitur etiam ejus veritas, licet ſubjecto

præfigatur univerſalitatis ſignum ; at ſi propoſitio illa ſeparationem enunciet, cave, ne ipſius ſubjecto ſignum univerſalitatis præfigas : ob præfixum enim tale ſignum, propoſitio evadit falſa, quia ſignum illud exceptionem omnem excludit. Hinc vera eſt hæc indefinita... Mulieres non ſunt doctæ ; falſa verò hæc... Nullæ mulieres ſunt doctæ.

Quarta. Propoſitio, quæ nititur cupiditate, tanquam motivo, haberi debet ſaltem ut temeraria ; & proindè rejicienda eſt à viro ſapiente, donec laudabile motivum affulgeat.

Quinta. Propoſitio, quæ nititur ſenſuum noſtrorum teſtimonio, certiſſima eſt, ſi enunciet ſolummodò quid nobis videatur de entibus ; at ſi enunciet quænam ſint naturæ, & proprietates objectorum ſenſilium, incerta eſt & plerumque falſa ; ſicut intelligetur ex dicendis in Phyſicâ.

Sexta. Propoſitio, quæ nititur aliorum hominum unanimi teſtimonio, præſertim ſi diverſæ ſint nationis, certiſſima eſt, ſi factum aliquod narret.

Septima. Propoſitio, quæ nititur authoritate Dei revelantis, certiſſima eſt, & ad effuſionem uſque ſanguinis propugnanda ; dummodò tamen authoritate Eccleſiæ conſtet, ipſam à Deo fuiſſe reipsâ revelatam.

Digitized by Google

Octava. Propoſitio, quæ nititur idæarum noſtrarum intuitu, certiſſima eſt: probatum enim fuit, intuitum illum, unicum eſſe motivum cognitionum philoſophicarum.

Nona. Ut propoſitio univerſalis, aut indefinita affirmans, & in materiâ contingenti, vera ſit, prædicatum convenire debet, ut plurimùm ſubjecto. Prætereà, ut indefinita negans in materiâ contingenti, vera ſit, prædicatum debet eſſe, ut plurimùm, ſeparatum à ſubjecto.

Decima. Ut propoſitio particularis, ſive negans, ſive affirmans, vera ſit, debet eſſe in materiâ contingenti, quia in materiâ neceſſariâ nulla eſt exceptio; & particularitatis ſignum denotat exceptionem, ut oſtendetur poſteà. Hinc omnis propoſitio particularis, ſive affirmans, ſive negans in materiâ neceſſariâ, ſemper eſt falſa.

Undecima. Propoſitio affirmans, in materiâ neceſſariâ, cujus ſubjectum generalius eſt, quàm prædicatum, ſemper eſt falſa; quia in hâc materiâ, prædicatum affirmantis includi debet in idæâ totali ſubjecti: porrò minùs generale non poteſt includi in generaliori, quandoquidem generalius eſt pars actualis minùs generalis.

Duodecima. Propoſitio affirmans in materiâ contingenti, cujus ſubjectum eſt pars contingens, & prædicatum eſt totum recipiens partem hanc contingentem, ſemper eſt falſa, quia totum tribui non poteſt parti ſuæ contingenti.

De propoſitionibus complexis.

Propoſitio complexa, dicitur ea, cujus unicum eſt ſubjectum, & unicum prædicatum; ſed ita ut aliquid fuerit additum aut ſubjecto, aut prædicato, aut verbo. Hinc quadruplex diſtingui poteſt: complexa de ſubjecto tantùm; complexa de prædicato tantùm; complexa de verbo tantùm; & complexa, vel de his omnibus, vel de multis ſimul.

Ut harum propoſitionum natura cognoſcatur, quaſdam præmittemus obſervationes, circà has complexiones ſpeciatim ſumptas: tùm quaſdam regulas ſubjungemus, circà has propoſitiones.

Notandum igitur 1°. quamlibet additionem factam, vel ſubjecto, vel prædicato, triplicem eſſe, explicativam, reſtrictivam, & repugnantem.

Tunc additio vocatur explicativa, quando terminus additus vel ſubjecto, vel prædicato, ſignificat aut ipſius genus, aut

Digitized by Google

differentiam, aut ſpeciem, aut proprium, aut accidens minimè commune.

Tunc additio vocatur reſtrictiva, quando terminus additus alteri termino univerſali, hunc reſtringit, ſeu determinat, ad aliqua tantùm ipſius inferiora; ut ubi dicitur, ſubſtantia ſpiritualis. Tunc additio dicitur repugnans, quando terminus additus alteri, ſignificat aliquid cum ipſo inſociabile: ut ubi dicitur, circulus quadrilaterus.

In his autem omnibus caſibus, pronomen, *qui, quæ, quod*, vel exprimitur, vel eſt ſubaudiendum; ita ut ſit ſubjectum propoſitionis acceſſoriæ, aut, ut aiunt, incidentis.

Notandum 2°. additionem explicativam, eſſe vel veram, vel falſam. Si ſit vera, tunc ſolius propoſitionis principalis veritas ſupererit examinanda; ſi verò ſit falſa, tunc propoſitio principalis rejici poterit, vel ex eo ſolo quòd falſum ſupponat; unde ſi propoſitio principalis inſuper ſit falſa, propoſitio totalis ex duplici capite negari poterit, & quia falſum ſupponit, & quia falſum enunciat: verbi gratiâ, hæc propoſitio.... Deus qui contingens eſt, creavit alterum Deum, negari debet, & quia falſum ſupponit, nempè Deum eſſe contingentem; & quia falſum enuntiat, nempè quòd creaverit

alterum Deum : hæc alia propoſitio, Deus qui contingens eſt, creavit animas rationales, neganda erit, ex eo ſolo quòd falſum ſupponat. In omni igitur propoſitione complexâ, vel de ſubjecto, vel de prædicato, duæ ſunt propoſitiones: una principalis, cujus vel ſubjecto, vel prædicato, fuit aliquid additum, & incidens, ſeu acceſſoria, cujus pronomen ſuprà dictum eſt ſubjectum. Propoſitio autem principalis, eſt ea, quæ ſolitariè ſumpta, perfectum & integrum habet ſenſum; acceſſoria verò, quæ ſolitariè ſumpta, perfectum & integrum non habet ſenſum.

Notandum 3°. veritatem propoſitionis principalis, in quâ reperitur additio reſtrictiva, pendere à connexione, vel repugnantiâ prædicati cum ſubjecto; hinc ſi propoſitio ſit affirmans, & ex idæarum intuitu, deprehendatur connexio prædicatum inter & ſubjectum reſtrictum; propoſitio principalis erit neceſſariò vera; ut in hâc propoſitione, ſubſtantia corporea ſectilis eſt in infinitum. Pariter, ſi propoſitio ſit negans, & ex idæarum intuitu, prædicatum deprehendatur inſociabile cum ſubjecto reſtricto; tunc propoſitio erit etiam neceſſariò vera, ut in hâc propoſitione.... Subſtantia corporea non eſt cognitionis capax. Quod ſi propoſitio

enunciet prædicatum aliquod convenire, aut non convenire ſubjecto, independenter à reſtrictione ſubjecti; tunc rejici poterit, ex eo quòd appoſita fuerit reſtrictio: verbi gratiâ, rejici poterunt ſequentes propoſitiones.... Subſtantia corporea per ſe ſubſiſtit... Subſtantia corporea non eſt modificatio... Homines juſti componuntur ex corpore & animâ.... Homines docti non ſunt lapides.

Notandum 4°. omnia ſigna reduplicationis, ſubjecto poſtpoſita, totidem eſſe additiones reſtrictivas huic ſubjecto factas; ut ubi dicitur, homo quatenùs homo, homo ut homo, homo ut ſic, &c. Senſus enim eſt, homo, ſecundùm ſuam eſſentiam ſpectatus; hinc vera eſt iſta propoſitio, homo ut homo, componitur ex corpore & animâ; falſa verò hæc..... homo ut homo, eſt doctus.

Notandum 5°. quaſdam eſſe propoſitiones ſimplices, quantùm ad voces, quæ tamen complexæ ſunt, quantùm ad ſenſum: quod duobus potiſſimùm modis accidit: quando ſubjectum eſt indeterminatum; mens enim aliquid ei ſemper addit, quo fiat determinatum: ut ubi dicitur... *Rex profligavit hoſtes.* Mens enim addit aliquem Principem determinatum. 2°. Quando in ſillogiſmo terminus, verbi

M v

gratiâ, medius, adjunctam habet complexionem in majori propoſitione, nec eandem habet expreſſam in minore: tunc enim mens eandem ſubſtituere debet complexionem in minore; ſicut jam conſtat ex dictis.

Notandum denique, complexionem de verbo, modò nihil aliud eſſe, præter narrationem alicujus opinionis, ut ubi dicitur... Peripatetici docuerunt, aërem eſſe levem; modò complexionem illam afferri in confirmationem propoſitionis principalis; ut ubi dicitur... Lex jubet honorare Reges, nimirùm ut confirmetur propoſitio principalis, *Reges ſunt honorandi*, additur hæc alia... Lex eſt ita jubens. Diſcrimen illud detegi tantùm poteſt, ex antecedentibus & conſequentibus.

Leges circà propoſitiones complexas.

Prima. Quando propoſitio acceſſoria nihil confert ad veritatem propoſitionis principalis; tunc perpendendum eſt, an propoſitio principalis ſit in materiâ neceſſariâ, an autem in materiâ contingenti? Si ſit in materiâ neceſſariâ, ita ut vera ſit, & acceſſoria ſit falſa; tunc tota propoſitio rejici poterit, ex eo quòd ſupponat falſum: ſic rejicienda eſt hæc tota propoſitio... Mundus qui neceſſariò exiſtit, eſt

rerum corporearum ordinata compages. Si propoſitio ſit in materiâ contingenti, ita ut principalis ſit vera, & acceſſoria ſit falſa; tunc tota propoſitio poterit admitti, præſertim ſi acceſſoria levis ſit momenti: ſic admitti poterit hæc propoſitio... Alexander, Amintæ filius, vicit Darium: quamvis enim Alexander magnus, ſit ſolùm Amintæ nepos; quia tamen hæc complexio nihil omninò confert ad veritatem propoſitionis principalis; ideò rejicienda non erit tota propoſitio. Hanc poſteriorem legis partem ſervabis, præſertim in colloquiis familioribus: interim ipſe cavebis, ne propoſitiones incidentes adjungas, quæ nihil omninò conferunt ad veritatem principalium.

Secunda. Quoties veritas propoſitionis principalis, pendet à veritate propoſitionis acceſſoriæ; toties diligenter erit perpendenda veritas hujus acceſſoriæ; ut ubi dicitur... Titius, Sempronii nepos, legitimus eſt ejus hæres.

Tertia. Si ex communi uſu, tituli quidam adjuncti fuerint perſonis, in dignitate conſtitutis, eoſdem ipſis tribuere debes, quamvis certus ſis, eos ipſis non competere: verbi gratiâ, quoniam Epiſcopi vocabantur antiquitùs, *ſanctiſſimi*; ideò hæc additio tribui poterat cuilibet

Epiſcopo, etiam nefariè viventi. Ratio generalis eſt, quia denominationes illæ non tam ſignificant quales ſint perſonæ, quàm quales eſſe debeant; uno verbo, pertinent ad dignitates, potiùs quàm ad perſonas.

Quarta. Pronomen, *hic*, *hæc*, *hoc*, tenens locum ſubjecti, in aliquâ propoſitione, ſemper ſignificat ſubjectum complexum; undè, donec tota propoſitio fuerit enunciata, nunquam certò dignoſci poteſt, quænam additio ſit ſubjecto facienda; & quoniam mens noſtra cunctationis eſt impatiens, indè fit ut circà hanc additionem, ut plurimùm, erremus. Errorem igitur vitabimus, ſi cohibeamus aſſenſum noſtrum, donec tota propoſitio fuerit prolata, & donec ad omnes circumſtantias attenderimus: verbi gratiâ, ſi quis tenens nummum, colore fulvo tinctum, dicat... Hoc eſt nummus aureus falſus, qui præcipitanter agunt, addunt, *quod eſt aurum*; & poſteà deprehendunt, præcipitanter factam fuiſſe hanc additionem.

Quinta. Quælibet vox, ſignificans univerſale, ſumptum pro aliquo tantùm inferiore indeterminato, ſemper ſignificat complexionem; ut ubi dicitur... Aliquis Romanorum Imperator leges omnes in ordinem diſpoſuit; ſenſus enim eſt, ali-

quis Romanorum Imperator, qui fuit Juſtinianus, &c.

Nota porrò propoſitionem explicativam, quamdam eſſe definitionis ſpeciem; undè hîc, per modum appendicis, agemus de definitione.

De definitione.

Definitio generatim, eſt oratio quidpiam explicans; & duplex eſt, nominis & entis.

De definitione nominis.

Definitio nominis, eſt oratio, quâ quis declarat, quo ſenſu, vocem aliquam ſit accepturus. Circà hanc definitionis ſpeciem, ſequentes ſervandæ ſunt leges.

Prima. Si novum aliquod ens detegatur, ſignificari poterit, vel voce quâdam novâ, vel voce compoſitâ, ex aliis jam uſu receptis.

Secunda. Ex vocibus vulgaribus & obviis, illæ ſolæ ſunt definiendæ, quæ laborant æquivocatione.

Tertia. Voces omnes, quæ ſcientiarum & artium ſunt propriæ, definiendæ ſunt: earum quippè ſignificatio, non eſt omnibus nota.

Quarta. Definitio nominis nunquam eſt impugnanda, niſi Scriptor vocem ali-

quam accipiat, ſecundùm ſignificationem diverſam ab eâ, quam determinavit.

De definitione entis.

Definitio entis, eſt oratio naturam ipſius explicans; hinc, ſi non ſit legitima hæc explicatio, poterit impugnari: duplex eſt entis definitio, imperfecta, & perfecta.

Definitio entis imperfecta, quæ vocatur aliter, *deſcriptio*, eſt ea, quâ entis natura explicatur, vel per proprietates, ut ſi homo definiatur, ſubſtantia virtutis & doctrinæ capax; vel per accidentium minimè communium congeriem, ut ubi corpora ſingularia deſcribuntur; vel per cauſas, ut ſi homo definiatur, ſubſtantia ad ſimilitudinem Dei, & propter ipſius gloriam producta; vel per negationem, ut ſi anima deſcribatur, ſubſtantia carens partibus, quæ ſint ſubſtantiæ. Hæc entis imperfecta definitio duas habet leges.

Prima. Sic ſe habet... Nihil poni debet in entis deſcriptione, pro ipſius differentiâ, quod non conferat ad illud ens, ab alio quovis diſtinguendum.

Secunda. Nullum attributum exprimatur in deſcriptione, niſi facilè deprehendatur conveniens deſcripto, aut ſaltem, niſi probetur ipſi conveniens.

Definitio entis perfecta, eſt oratio naturam ejus explicans per partes eſſentiales, quarum una ſit communis, quæ dicitur *genus*; & altera propria, quæ vocatur *differentia*.

Quatuor vulgò traduntur leges, de conficiendâ perfectâ entis definitione.

Prima. Definitio debet eſſe clarior definito, quia nempè quævis explicatio, debet eſſe clarior explicato; hinc 1°. à definitione perfectâ, exulare debent voces obſoletæ, ſeu inuſitatæ, obſcuræ, æquivocæ, & metaphoricæ; hinc 2°. definitum ingredi non debet definitionem, quia remaneret obſcuritas.

Secundà. Definitio reciprocari debet cum definito, id eſt, definitio & definitum debent de ſe invicem prædicari poſſe: hæc lex falſa eſt; ut conſtabit ex dicendis.

Tertia. Definitio debet eſſe adæquata, ita ut, nec ſit manca, nec redundans: manca foret, ſi deeſſet pars eſſentialis, quæ ſit vel genus, vel differentia; eſſet autem redundans, ſi præter genus & differentiam, contineret proprietates.

Quarta. Definitio conſtare debet genere proximo, & differentiâ ſpecificâ. Nomine generis proximi, intelligitur generum omnium definiti, minimè univerſale; nomine verò differentiæ ſpecificæ, intelli-

Digitized by Google

gitur attributum, à quo fluunt omnes definiti proprietates.

Hæc ultima lex ſufficit, ad definitionem entis: eo enim ipſo, quòd definitum explicatur per genus proximum, & differentiam ſpecificam, ſufficienter explicatur ejus natura.

De propoſitionibus compoſitis.

Propoſitiones compoſitæ, vocantur illæ, quæ poſſunt in multas alias principales reſolvi; & duplicis generis diſtinguuntur, clarè compoſitæ, quarum compoſitio & reſolutio ſtatim apparent; & exponibiles, quæ per alias voces exponi debent, ut earum compoſitio innoteſcat.

Sex numerantur propoſitiones clarè compoſitæ, ſcilicet copulativæ, disjunctivæ, conditionales, cauſales, relativæ, & diſcretivæ: quatuor autem numerantur exponibiles, exceptivæ, excluſivæ, inceptivæ, & deſitivæ. De ſingulis eſt dicendum.

De copulativis.

Propoſitiones copulativæ, ſunt illæ, quæ continent, vel multa ſubjecta, vel multa prædicata, inter ſe juncta per has, aut ſimiles particulas, *&*, *atque*, *necnon*,

&c. Ex hâc definitione ſequitur, propoſitiones copulativas triplicis tantùm eſſe generis, de ſubjecto tantùm, de prædicato tantùm, & de ſubjecto & prædicato ſimul. Præterea, ejuſmodi propoſitiones ſunt vel affirmantes, vel negantes.

Ut propoſitiones copulativæ affirmantes, ut veræ admittantur, requiritur veritas ex omni parte; ita ut, ſi vel unica pars ſit falſa, tota propoſitio negari poſſit: verbi gratiâ, ut vera ſit hæc propoſitio... Petrus & Paulus ſtudent & ambulant, requiritur ut Petrus reipsâ ſtudeat, & ambulet; pariter, ut Paulus reipsâ ſtudeat, & ambulet. Satius tamen erit verum à falſo ſecernere, deſignando quænam propoſitionis partes admittantur, ut veræ; quænam autem rejiciantur, ut falſæ.

Ut propoſitiones copulativæ negantes admittantur, ut veræ, perpendendum eſt utrùm negatio cadat in partes copulatas, ut in hâc propoſitione... Neque Petrus, neque Paulus ſtudent; an autem cadat in ipſum verbum, ut in iſtâ propoſitione... Petrus & Paulus non ſtudent. Hoc detecto, ſint ſequentes regulæ.

Prima. Quoties negatio cadit in partes copulatas; toties ad veritatem propoſitionis totalis, requiritur, ut ſingulæ partes ſint veræ: verbi gratiâ, ut vera ſit hæc

propoſitio totalis, neque Petrus, neque Paulus, neque Jacobus, ſunt Philoſophi; requiritur, ut unuſquiſque ſeorſim reipsâ non ſit Philoſophus: utilius tamen erit verum à falſo ſecernere.

Secunda. Quoties negatio cadit in verbum; toties ad veritatem propoſitionis totalis, ſufficit veritas ex aliquâ parte: verbi gratiâ, ut vera ſit hæc propoſitio... Petrus & Paulus non ſtudent; ſufficit, ſi alteruter non ſtudeat. Satius pariter erit, verum à falſo ſecernere.

Qui voluerit contradicendo, copulativas affirmantes impugnare, vel debet aſſumere partem quam putat falſam, & ipſam negativè exprimere; vel ſi partes omnes falſas eſſe contendat, debet aſſumere propoſitionem copulativam negantem, in quâ negatio cadat in partes copulatas.

Qui voluerit copulativas negantes impugnare, vel debet aſſumere partem quam putat falſam, & ipſam affirmativè exprimere; vel ſi partes omnes falſas eſſe contendat, aſſumere debet copulativam affirmantem.

De disjunctivis.

Propoſitio disjunctiva, ea dicitur, cujus, vel ſubjectum tantùm, vel prædicatum tantùm, vel utrumque ſimul, eſt multi-

Digitized by Google

plex; ita ut adſit particula ſignificans oppoſitionem, vel inter illa ſubjecta, vel inter illa prædicata: particulæ disjunctivæ, ſeu ſignificantes illam oppoſitionem, ſunt hæ vel ſimiles, *vel*, *aut*, &c.

Ut propoſitiones disjunctivæ affirmantes, veræ ſint in materiâ neceſſariâ, ea requiritur inter membra disjunctionis oppoſitio, quæ nullum admittat medium; ſic vera eſt hæc disjunctiva... Anima mea, vel neceſſariò, vel contingenter exiſtit; falſa verò hæc... Quidquid eſt de multis prædicabile, vel eſt genus, vel proprium; quia ſunt alia de multis diverſimodè prædicabilia. Ut autem disjunctivæ negantes veræ ſint in eâdem materiâ, requiritur, ut nulla ſit oppoſitio inter membra. Hinc vera eſt iſta.... Deus non eſt, vel æternus, vel immenſus.

Ut disjunctivæ affirmantes, veræ ſint in materiâ contingenti, ea requiritur inter membra disjunctionis oppoſitio, quæ, ut plurimùm, non admittat medium; hinc vera eſt hæc propoſitio... Homines agunt, vel ex utilitate, vel ex metu. Ut autem disjunctiva negans, vera ſit in eâdem materiâ, requiritur, ut nulla ſit inter membra oppoſitio; hinc vera eſt hæc propoſitio.... Petrus non eſt, vel pius, vel doctus.

Digitized by Google

De conditionalibus.

Propoſitio conditionalis, eſt ea, quæ conſtat ex duabus propoſitionibus, inter ſe conjunctis, per has, aut ſimiles particulas conditionales, *ſi*, *modò*, *dummodò*, &c. ita ut harum propoſitionum, una ſe habeat, velut antecedens, & altera, tanquàm conſequens; ut ſi dicatur.... Si corpus habeat partes, quæ ſint totidem ſubſtantiæ, eſt diviſibile.

Ut conditionalis affirmans, vera ſit in materiâ quâvis, requiritur ut adſit connexio inter partes, ſeu inter conſequens & antecedens; licet antecedens, & conſequens ſint falſa: verbi gratiâ, vera eſt hæc conditionalis affirmans.... Si lapis polleat intellectus, eſt cognitionis capax.

Ut conditionales negantes, veræ ſint in materiâ quâvis, ſufficit, ſi nulla ſit connexio inter antecedens & conſequens.

Notandum autem eſt connexionem, ſeu conſequentiam, eſſe vel immediatam, vel mediatam. Tunc connexio dicitur immediata, quando terminus aliquis communis eſt utrique parti: ut in iſtâ... Si corpus eſt ſubſtantia merè paſſiva, corpus non eſt amoris capax. Tunc connexio dicitur mediata, quando nullus terminus utrique parti communis eſt, ut in hâc propo-

ſitione... Si bonorum creatorum poſſeſſio faſtidium tandem pariat, ſolus Deus eſt hominis beatitudo.

Qui conditionalem affirmantem impugnare voluerit, debet loco particulæ conditionalis, aſſumere has, aut ſimiles particulas, *quamvis*, *licet*, &c. Deinde, initio partis alterius, apponere debet has, aut ſimiles voces, *non idcireò*, *non ideò*, &c. verbi gratiâ, ſi quis impugnare velit hanc propoſitionem... Si homo ſit Philoſophus, beatè vivit; contradictionem ſuam ſic exprimere debet.... Quamvis homo ſit Philoſophus, non idcircò beatè vivit.

Qui conditionalem negantem impugnare voluerit, debet aſſumere conditionalem affirmantem, & ejus conſequenti præfigere unam ex his, aut ſimilibus vocibus, *reverâ*, *reipsâ*, &c. verbi gratiâ, ſi quis propoſitionem hanc impugnare velit... Non, ſi Deus eſt juſtus, puniet peccatores; ſic redarguere debet... Si Deus eſt juſtus, reipsâ puniet peccatores.

De cauſalibus.

Propoſitio cauſalis, eſt ea, quæ componitur ex duabus propoſitionibus inter ſe junctis per particulas cauſales, *quia*, *quoniam*; & duplex eſt, affirmans, ut...

Digitized by Google

quia Deus neceſſariò exiſtit, eſt omnipotens; & negans, ut... non quia Pater æternus genuit filium, eſt Creator.

Ut cauſalis affirmans vera ſit, duo requiruntur. Primum, ut utraque pars ſit vera; ſecundum, ut ea pars, in quam cadit particula cauſalis, ſit reipsâ vel cauſa, vel principium, vel origo alterius. Primò quidem utraque pars debet eſſe vera, quia quod falſum eſſe, neque poteſt eſſe cauſa, neque effectus, neque principium, neque origo. 2°. Requiritur, ut ea pars in quam cadit particula cauſalis, reipsâ ſit vel cauſa, vel principium, vel origo alterius; quia in hoc potiſſimùm conſiſtit propoſitionis cauſalis veritas.

Ut cauſalis negans vera ſit, requiritur ut ea pars, in quam cadit particula cauſalis, reipsâ non ſit alterius vel cauſa, vel principium, vel origo; modò tamen negatio cadat in particulam cauſalem.

Hoc autem eſt diſcrimen, cauſales inter & conditionales: quod ad veritatem conditionalium affirmantium, ſufficiat inter partes connexio; & ad veritatem negantium ſufficiat, ſi nulla ſit ejuſmodi connexio: at verò, ut cauſales affirmantes veræ ſint, requiritur, & ut utraque pars ſit vera, & ut ea pars, in quam cadit particula cauſalis, reipsâ ſit vel cauſa, vel

Digitized by Google

principium, vel origo alterius: deinde ut cauſalis negans vera ſit, requiritur ut ea pars, in quam cadit particula cauſalis, reipsâ non ſit alterius, vel cauſa, vel principium, vel origo.

Notandum autem eſt, propoſitionem cauſalem, tunc tantùm eſſe negantem, quando negatio cadit in ipſam particulam cauſalem. Hinc ſi negatio cadat, aut in verbum, aut in alterutrius partis complexionem, non idcircò propoſitio totalis vocatur negans: verbi gratiâ, hæc propoſitio cauſalis, non eſt negans... Quia Petrus non ſtudet, manebit ignarus.

Qui cauſalem affirmantem impugnare voluerit, præponere debet parti, quæ ſpectatur ut effectus; has aut ſimiles voces, *non idcircò*, *non ideò*, &c. verbi gratiâ, ſi quis impugnare voluerit hanc cauſalem affirmantem... Quia talis Princeps natus fuit ſub tali ſydere, fuit infelix; ſic redarguere debet... Quia talis Princeps natus fuit ſub tali ſydere, non idcircò fuit infelix. Eadem propoſitio ritè poterit impugnari, præfigendo particulam negativam ipſi particulæ cauſali, dicendo non quia talis Princeps, &c.

Qui cauſalem negantem impugnare voluerit, cauſalem affirmantem aſſumere debet.

Digitized by Google

De relativis.

Propoſitio relativa, dicitur ea, quæ exprimit, vel aliquem ordinem, vel aliquam comparationem inter partes, ex quibus componitur; vocatur *relativa*, quando clarè exprimitur ordo; vocatur autem *comparativa*, quando non tam obvius eſt ordo: utraque duplex eſt, affirmans, & negans. Ut propoſitio affirmans ſive relativa, ſive comparativa, vera ſit, requiritur, ut reipsâ quidam ſit, ut plurimùm, inter partes ordo: verbi gratiâ, ut vera ſit hæc propoſitio indefinita, talis eſt vita, qualis fuit inſtitutio; requiritur ut homines, ut plurimùm, vivant, prout fuerunt in ætate juvenili inſtituti.

Ut propoſitio negans, ſive relativa, ſive comparativa, ſit vera, requiritur, ut nullus ſit, ut plurimùm, ordo inter partes: verbi gratiâ, ut vera ſit hæc propoſitio... Liberi non ſunt tales, quales fuerunt eorum parentes; requiritur, ut liberorum vivendi ratio, ut plurimùm, diſcrepet à vivendi ratione parentum.

Difficultas autem eſt, utrùm ad veritatem affirmantium comparativarum requiratur veritas utriuſque partis in gradu poſitivo: verbi gratiâ, utrùm ad veritatem hujus propoſitionis, ex Scripturâ Sacrâ decerptæ,

cerptæ; *meliùs eſt habitare cum dracone, quàm cum muliere litigiosâ;* requiratur ut veræ ſint hæ propoſitiones... *Bonum eſt habitare cum dracone, bonum eſt habitare cum muliere litigiosâ.*

Reſpondeo 1°. Si agatur de comparatione bonitatis, ut in exemplo mox allato, non requiri veritatem utriuſque partis, in gradu poſitivo; quia ſcilicet minus malum comparatè ad majus, dici poteſt bonum quoddam; undè vera eſt allata propoſitio. Senſus enim eſt, minus eſt malum habitare cum dracone, quàm cum muliere litigiosâ.

Reſpondeo 2°. Si agatur de aliâ quâvis comparatione, requiri veritatem utriuſque partis, in gradu poſitivo; hinc falſæ ſunt ſequentes propoſitiones... Angelus candidior eſt nive, Angelus candidior eſt Cacodæmone.

Propoſitiones relativæ & comparativæ duobus modis impugnari poſſunt: verbi gratiâ, hæc Epicureorum propoſitio.... Dolor eſt malorum omnium maximus; impugnari poteſt dicendo, dolor eſt quidem malum quoddam, ſed non eſt omnium maximum, vel dolor non eſt malum propriè dictum.

De diſcretivis.

Propoſitiones diſcretivæ, dicuntur illæ,

quæ componuntur ex propoſitionibus inter ſe quodammodò oppoſitis; ita ut hæc oppoſitio ſignificetur per has, aut ſimiles voces, *ſed*, *at*, *attamen*, &c. ut... Petrus ingenio quidem pollet, ſed piger eſt.

Veritas harum propoſitionum pendet, tùm à veritate partium ſimul ſumptarum, tùm ab oppoſitione quâdam, quæ reperiri debet inter has partes. Hinc vera eſt ſequens propoſitio... Titius nobilis eſt, ſed non vivit, ut nobilem decet. Quod ſi nulla ſit oppoſitio inter partes, tunc propoſitio totalis evadit ridicula; qualis eſſet ſequens... Judas Iſcariotes fuit corpore magnus; attamen Chriſtum Dominum Judæis tradidit.

Ut propoſitio diſcretiva poſſit impugnari, eligendus eſt unus ex modis ſequentibus: verbi gratiâ, ſi velim propoſitionem hanc impugnare... Felicitas hominis, non à virtute, ſed à ſcientiâ pendet; ſic redarguere potero, 1°... Felicitas hominis, non à ſcientiâ, ſed à virtute pendet. 2°... Felicitas hominis, & à virtute, & à ſcientiâ pendet. 3°... Felicitas hominis, nec à virtute, nec à ſcientiâ pendet.

De excluſivis.

Propoſitiones excluſivæ, ſunt illæ, quæ enunciant attributum quoddam, vel con-

Digitized by Google

venire, vel non convenire ſoli cuidam ſubjecto; hinc aliæ ſunt affirmantes, & aliæ negantes. Affirmantes, ſunt illæ, in quibus nulla negatio cadit in particulam excluſivam, quales ſunt ſequentes... Solus Deus eſt omnipotens, ſolus Deus non mutatur, ratione perfectionum. Excluſivæ negantes, ſunt illæ, in quibus negatio cadit in particulam excluſivam: ut non ſolus Deus eſt ſpiritus.

Propoſitio excluſiva affirmans, reſolvitur in duas principales, quarum una eſt affirmans, & altera negans: verbi gratiâ, hæc propoſitio... Solus Deus eſt omnipotens, ſic reſolvitur... Deus eſt omnipotens... Nullus ſpiritus, à Deo diverſus, eſt omnipotens.

Propoſitio excluſiva negans, reſolvitur in duas affirmantes: verbi gratiâ, hæc propoſitio... non ſolus Deus eſt ſpiritus, ſic reſolvitur... Deus eſt ſpiritus... alia ſubſtantiæ ſpecies, à Deo diverſa, eſt ſpiritus.

Ut affirmantes veræ ſint, requiritur, ut reſolutione factâ, prædicatum conveniat uni ſubjecto, & removeatur ab altero: ut autem negativæ veræ ſint, requiritur, ut reſolutione factâ, prædicatum utrique ſubjecto conveniat.

Excluſivæ affirmantes tribus modis im-

pugnari poſſunt : verbi gratiâ, hæc propoſitio... ſoli Philoſophi ſunt felices, ſic impugnari poteſt. 1°. Ne quidem Philoſophi ſunt felices. 2°. Non ſoli Philoſophi ſunt felices. 3°. Soli Philoſophi non ſunt felices.

Excluſivæ negantes tribus etiam modis impugnari poſſunt ; verbi gratiâ, hæc propoſitio... non ſoli Philoſophi ſunt ſapientes, ſic impugnari poteſt. 1°. Soli Philoſophi ſunt ſapientes. 2°. Soli Philoſophi non ſunt ſapientes. 3°. Neque Philoſophi, neque cæteri homines, ſunt ſapientes.

Notandum autem 1°. quaſdam propoſitiones excluſivas eſſe, quantùm ad ſenſum, quæ non apparent excluſivæ, quantùm ad voces : tales ſunt ſequentes propoſitiones... qui gloriatur, in Domino glorietur... unicus eſt Deus... unica eſt fides. Senſus enim eſt, in ſolo Deo gloriandum eſt... ſola aliqua ſpecies ſpiritûs, eſt Deus... ſola fides divina, eſt vera fides.

Notandum 2°. omnes propoſitiones particulares excluſivas eſſe, quantùm ad ſenſum : verbi gratiâ, hæc propoſitio... quidam homines ſunt docti, ſic reſolvitur, aut ſic reſolvi debet... quidam homnines reipsâ ſunt docti, cæteri verò non ſunt docti.

Digitized by Google

De exceptivis.

Propoſitiones exceptivæ, dicuntur illæ, in quibus attributa, vel affirmantur, vel negantur de ſubjectis communibus, ita ut quædam ex ejuſmodi ſubjectis excipiantur: verbi gratiâ, omnes homines, præter veros Chriſtianos, ſunt infelices. Apparet autem, 1°. ipſas eſſe revocandas ad excluſivas; ſuprà dicta namque propoſitio huic æquivalet.... Soli veri Chriſtiani ſunt felices. Apparet autem, 2°. propoſitiones exceptivas locum tantùm habere poſſe in materiâ contingenti, quia in materiâ neceſſariâ nulla eſt exceptio.

De inceptivis & deſitivis.

Propoſitiones inceptivæ, vocantur illæ, quæ ſignificant initium alicujus entis; deſitivæ verò, quæ ſignificant entis alicujus finem: & ſunt vel affirmantes, vel negantes.

Ut ejuſmodi propoſitiones ſint veræ, partes earum reipsâ dicere debent ordinem ad tempus, per propoſitiones ſignificatum; hinc veræ ſunt hæ propoſitiones... Poſt mortem Chriſti, Lex Moſaïca vim obligandi non habuit... Poſt mortem Chriſti, Lex Evangelica vim habuit.

Digitized by Google

De propoſitionibus abſolutis, & modalibus.

Propoſitio abſoluta, dicitur ea, quæ non exprimit modum, quo prædicatum convenit, aut non convenit ſubjecto: tales ſunt omnes propoſitiones, de quibus huc uſque dictum fuit; undè circà ipſas nihil ſupereſt hîc examinandum.

Propoſitio modalis, ea eſt, quæ exprimit modum, quo prædicatum convenit, aut non convenit ſubjecto; quales ſunt hæ propoſitiones... Deus eſt neceſſariò juſtus... Quidam homines ſunt contingenter juſti.

In omni propoſitione modali, tria diſtinguuntur à Philoſophis, ſcilicet *dictum*, *copula verbalis*, & *modus*. Quid ſit copula verbalis dictum fuit alibi? *Dictum*, nihil aliud eſt, quàm ſubjectum & prædicatum, ſimul ſumpta. Modus eſt vox ſignificans, quo modo prædicatum conveniat, aut non conveniat ſubjecto.

Modus eſt, vel nomen, ut in hâc propoſitione... Neceſſe eſt, Deum eſſe juſtum; vel eſt adverbium, ut Deus eſt neceſſariò juſtus. Propoſitio modalis de nomine, in eo ſolo differt à modali de adverbio, quod in modali de nomine, poſſibi-

Digitized by Google

litatem enunciante, partes *dicti* ſignificentur inter ſe junctæ; in modali autem de adverbio, ſignificentur, à ſe invicem ſeparatæ. Hinc vera eſt hæc propoſitio... Loquens eſt, poſſibiliter tacens; falſa verò iſta... Loquentem eſſe tacentem, eſt poſſibile.

Propoſitio modalis, vel eſt affirmans, vel negans. Tunc eſt affirmans, quando modus affirmatur; negans verò, quando modus negatur: hinc affirmans eſt hæc propoſitio... neceſſe eſt, ſpiritum non eſſe corpus; hæc autem eſt negans... non eſt neceſſe, hominem eſſe Philoſophum.

Veritas & falſitas modalium, pendent potiſſimùm, à veritate & falſitate modorum; hinc vera eſt hæc propoſitio... Deus eſt neceſſariò juſtus; iſta verò falſa... Deus eſt contingenter juſtus.

Quatuor numerantur à Philoſophis diverſi modi; *poſſibile*, *impoſſibile*, *neceſſarium*, & *contingens*. Circà hos modos, obſervandum eſt, 1°. *poſſibile*, nec eſſe neceſſarium, nec contingens; quia abſtrahit, modò à neceſſario, modò à contingenti. 2°. Non *neceſſarium*, idem non eſſe ac contingens, quia impoſſibile eſt etiam non *neceſſarium*. 3°. Non *contingens* idem ſignificare ac *neceſſarium*, quia impoſſibile dici non poteſt, non contingens.

Digitized by Google

Longè plures ſunt alii modi, quàm quatuor ſuperiùs deſignati: omnia namque adverbia, imò multæ additiones factæ, vel ſubjecto, vel prædicato, vocari poſſunt totidem modi. Diligenter autem attendendum eſt, in quam propoſitionis partem cadant illi modi: prout enim in has, aut illas voces incidunt, ſenſus omninò diverſos efficiunt, ſicut duplici exemplo ſequenti patebit. Sint, verbi gratiâ, hæ propoſitiones... agens liberum, poteſt agere *ſimul*, & non agere... agens liberum, *ſimul* poteſt agere, & non agere; prior namque propoſitio falſa eſt, quia vox iſta *ſimul* cadit in actum & non actum, qui ſimul eſſe nequeunt; poſterior autem eſt vera, quia vox eadem cadit in potentias agendi & non agendi, quæ ſimul exiſtunt.

Sint rursùs hæ propoſitiones... homo neceſſariò poteſt eſſe doctus... homo poteſt eſſe neceſſariò doctus: prior vera eſt, quia hoc adverbium, *neceſſariò*, cadit in potentiam, quæ reipsâ neceſſaria eſt; poſterior autem eſt falſa, quia idem adverbium cadit in doctrinam, quæ neceſſaria non eſt, ſed contingens. Inter modos numerari poteſt particula, *non*, prout enim cadit in voces diverſas, diverſa ſignificat: verbi gratiâ, valdè diverſæ ſunt hæ pro-

Digitized by Google

poſitiones... non ſolus Deus eſt ſpiritus... ſolus Deus non eſt ſpiritus... ſenſus enim prioris eſt... Deus eſt ſpiritus, & aliæ ſpecies ſunt etiam ſpiritus : quod eſt ex omni parte verum. Senſus autem poſterioris eſt... Deus non eſt ſpiritus, & omnes cæteræ ſpecies ſunt ſpiritus : quod eſt ex omni parte falſum. Frequens exercitatio cæteros propoſitionum modos edocebit.

CONCERTATIONES circà Judicium.

HOc ordine procedemus in his Concertationibus. 1°. Diſſeremus de judicio univerſim. 2°. De materiâ propoſitionis. 3°. De ipſius formâ. 4°. De propoſitionum quantitate. 5°. De earum qualitate. 6°. De propoſitionum converſionibus. 7°. Denique de propoſitionum oppoſitione.

De judicio univerſim.

Duplex occurrit difficultas, circà judicium univerſim. Prima, quomodò ſit definiendum? Secunda, an ſit actus ſimplex? ut ſolvantur, ſint,

Digitized by Google

Concluſio prima.

Judicium univerſim, definiri debet actus intellectûs, quo dicitur habitudo prædicati ad ſubjectum. Judicium enim definiri debet eâ definitione, quâ poſitâ, diſtinguitur tùm ab apprehenſione, tùm à diſcurſu: atqui, poſitâ ſuprà dictâ definitione, judicium differt ab apprehenſione & diſcurſu: ſcilicet, aliud eſt attendere ad objecta; aliud autem eorum habitudines, ſeu relationes detegere, & dicere. Pariter aliud eſt, habitudinem illam dicere; aliud verò detegere, & dicere connexionemu nius judicii, cum alio, vel cum aliis; proindèque, &c.

Quæres autem, cur judicium non definiatur, actus intellectûs, quo unum affirmatur, aut negatur de alio?

Reſpondeo judicium non eſſe definiendum, eâ ratione, quæ eſt potiùs diſtributio judicii univerſim ſumpti, quàm ipſius naturæ explicatio: porrò allata oratio ſic ſe habet; proindèque, &c.

Docent Carteſiani, judicium eſſe actum voluntatis, non autem actum intellectûs; imò contendunt, intellectum eſſe potentiam merè paſſivam. Opinionem hanc refellemus in Metaphyſicâ.

Digitized by Google

Concluſio ſecunda.

Judicium, eſt quid ſimplex in ratione actûs. Illud enim dicitur ſimplex, in ratione actûs, quod non componitur ex aliis actibus : atqui judicium non, &c. Si enim judicium, ex aliis actibus componeretur, certè ex apprehenſionibus ſubjecti & prædicati : atqui judicium non, &c. Quod enim ſupponit illas apprehenſiones jam exiſtentes, ex his non componitur : atqui judicium ipſas præſupponit. Priùs enim eſt apprehendere objecta, quàm illorum habitudines detegere, & dicere.

Dices 1°. Quod non poteſt exiſtere, ſine apprehenſionibus ſubjecti & prædicati, componitur ex illis : atqui judicium ſic ſe habet ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod non poteſt exiſtere ſine apprehenſionibus, tanquàm partibus ſuis eſſentialibus, concedo. Tanquàm aliquibus prærequiſitis, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, &c.

Dices 2°. Tale eſt judicium, quale eſt ejus ſignum : atqui ſignum judicii, nempè propoſitio, eſt quid compoſitum ; ergo, &c.

1°. Nego majorem. Signum enim eſt

Digitized by Google

ſemper quid diverſum à ſignificato; ſicut colligitur ex ſigni definitione.

2°. Nego minorem. Signum enim judicii, ut actûs, eſt hæc ſola vocula, *eſt*; hinc propoſitio eſt quidem ſignum judicii, tùm formaliter, tùm objectivè ſumpti; ſed ſola vocula, *eſt*, dici poteſt ſignum judicii formaliter ſumpti.

Quæres autem, an judicium, objectivè ſumptum, ſit quid compoſitum?

Reſpondeo, judicium, objectivè ſumptum, eſſe quid compoſitum. Probatum enim fuit, objectum quodlibet, ex infinitis partibus eſſentialibus eſſe compoſitum.

De materiâ propoſitionis.

Certum eſt apud omnes, propoſitionem quamlibet, ratione materiæ, ſeu objecti ſpectatam, duplicis tantùm eſſe generis, neceſſariam nimirùm & contingentem; quia neceſſarium inter & contingens, nihil determinatum mediat. Difficultas autem eſt, quotuplex ſit habitudo prædicati ad ſubjectum, in utrâque hâc materiâ.

Recentiores nonnulli docent, habitudinem illam quintuplicem eſſe in materiâ neceſſariâ, ſcilicet *inſeparabilitatem*, ut in hâc propoſitione... Deus eſt omnipotens; *incompatibilitatem*, ut... Deus non eſt con-

tingenter exiſtens; *præciſionem*, ut... ſubſtantia præſcindit, vel à ſpiritu, vel à corpore; *compatibilitatem*, ut... Deus potuit creare mundum: denique, *ſeparabilitatem*, ut... Deus potuit non creare mundum. Deinde volunt, duplicem tantùm eſſe habitudinem in materiâ contingenti, nempè, *unionem*, ut... corpora exiſtunt; & *ſeparationem*, ut... Judas Iſcariotes non eſt ſalvus.

Concluſio.

Duplex tantùm eſt habitudo, prædicati ad ſubjectum, in materiâ quâvis. Totuplex enim eſt illa habitudo; quotuplex eſt modus diverſus, quo prædicatum ſe habere poteſt ad ſubjectum: atqui duplex tantùm eſt modus ille diverſus, in materiâ quâvis. Quodlibet enim prædicatum enunciatur, vel cum ſubjecto conjunctum, vel ab ipſo ſeparatum; impoſſibilis enim eſt propoſitio, in quâ prædicatum nec enuncietur cum ſubjecto conjunctum, nec ab eo ſeparatum, hoc eſt, impoſſibilis eſt propoſitio, quæ neque ſit affirmans, neque negans; proindèque, &c.

Dices. In hâc propoſitione... Subſtantia non eſt ſpiritalis, neque enunciatur conjunctio, neque ſeparatio; ſed enunciatur *præſciſio*; ergo plures ſunt, quàm duæ

habitudines prædicati, ad ſubjectum.

1°. Nego antecedens: vel enim ſenſus allatæ propoſitionis eſt... ſubſtantia præſcindit à ſpiritualitate; vel ſenſus eſt... ſpiritualitas non eſt conjuncta cum ſubſtantiâ; vel denique hîc ſenſus eſt... ſubſtantia non includit in idæâ ſuâ ſpiritualitatem: porrò in his omnibus caſibus enunciatur, vel conjunctio, vel ſeparatio; proindèque, &c.

2°. Si ſenſus allatæ propoſitionis hîc ſit... ſubſtantia univerſim præſcindit à ſpiritualitate, & præſcindit à corporeïtate; tunc falſa eſt, & debuiſſet ſic exprimi... ſubſtantia præſcindit, vel à ſpiritualitate, vel à corporeïtate: hinc, niſi conſtet aliundè, ſubſtantiam eſſe conjunctam cum ſpiritualitate, non poterit verè dici præſcindens à ſpiritualitate. Ratio generalis eſt, quia, ut genus præſcindat ab aliquo, è ſuis inferioribus, debet eſſe inſeparabile ab hoc inferiore.

Inſtabis. Si ſenſus allatæ propoſitionis hîc ſit... ſubſtantia conjuncta cum ſpiritualitate, præſcindit à ſpiritualitate; tunc ſpiritualitas eſt forma prædicati; & hæc forma, nec enunciatur cum ſubjecto conjuncta, nec ab eo ſeparata: atqui reipsâ ſenſus allatæ propoſitionis eſt ejuſmodi; ergo, &c.

Digitized by Google

Nego ſequelam. Forma namque prædicati propoſitionis ſic enunciatæ, eſt *præciſio* à ſpiritualitate; & tunc hæc forma per propoſitionem illam, enunciatur cum ſubjecto reſtricto conjuncta.

Nota porrò, particulam, *non*, à Philoſophis recentioribus uſurpari, pro ſigno præciſionis; quamvis nunquam fuerit anteà pro tali ſigno ſumpta.

Colliges præciſionem, compatibilitatem & ſeparabilitatem, revocari ad eam habitudinem, quæ dicta fuit à nobis *inſeparabilitas.* 1°. Namque quando dicitur... ſubſtantia præſcindit in rei veritate, præciſio includitur in idæâ ſubſtantiæ. 2°. Quando dicitur... Deus potuit creare mundum, potentia creandi includitur in idæâ Dei. 3°. Denique quando dicitur... Deus potuit mundum non creare, prædicatum inſeparabile eſt à ſubjecto.

In materiâ igitur neceſſariâ, duæ habitudines vocabuntur in poſterùm, *inſeparabilitas* & *incompatibilitas*; in materiâ verò contingenti, *unio*, ſeu *conjunctio*, & *ſeparatio*.

De formâ propoſitionis.

Circà formam propoſitionis, duo poſſunt inquiri. Primum, quotuplex ſit in rei veritate verbum? Secundum, an præ-

Digitized by Google

dicatum propoſitionis identificetur cum ejus ſubjecto? poſterior quæſtio duas alias complectitur; an ſcilicet, forma prædicati identificetur cum ſubjecto propoſitionis; & an ſubjectum prædicati identificetur cum ſubjecto propoſitionis?

Concluſio prima.

Sola vocula, *eſt*, aut quælibet æquivalens, ſufficit ad rationem verbi. Quoties enim unicum ens eſt ſignificandum, toties unica vox ſufficit ad ipſum ſignificandum: atqui unicum ens eſt ſignificandùm per verbum; nimirùm actus intellectûs, quo dicitur habitudo prædicati ad ſubjectum; proindèque, &c.

At, inquies, ſi ſola vocula, *eſt*, ſufficeret ad rationem verbi, dici poſſet... homines *eſt* mortales: atqui hoc dici non poteſt; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Dici poſſet philoſophicè, concedo. Grammaticaliter, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam.

Itaque Grammatici, brevitatis causâ, multa entia ſignificarunt, unicâ voce: modò namque ſubjectum, prædicatum, verbum & tempus, unicâ voce ſignificant: ut ubi dicunt, *orabo*; ſenſus enim eſt, *ego eſt in poſterùm orans*: ob eandem rationem,

varias excogitarunt conjugationes, varioſque modos: at quantumvis involuta ſit vocula, *eſt*, ſemper intelligenda eſt in omnibus iis vocibus, quæ vocantur à Grammaticis, verba; unde ipſa ſola ſufficit apud Philoſophos, ad rationem verbi.

Colliges 1°. deſcriptiones verbi, tùm à multis Philoſophis, tùm ab omnibus Grammaticis traditas, quibus nempè verbum dicitur ſignificare, cum tempore, numero, perſonâ, &c. vitioſas eſſe; quia verbum ſolummodò ſignificat ſpecialem intellectûs actum.

Colliges 2°. voces omnes, à Grammaticis aſſignatas, tanquàm totidem verba, in rei veritate, totidem eſſe vel propoſitiones, vel propoſitionum partes.

Colliges 3°. verbum eſſe definiendum... vocem, quâ ſignificatur actus intellectûs dicentis, habitudinem prædicati, ad ſubjectum.

Concluſio ſecunda.

Forma prædicati, nunquam identificatur cum ſubjecto propoſitionis. Subjectum enim propoſitionis, eſt vel ſubſtantia, vel modificatio. Si ſit ſubſtantia, forma prædicati, ut potè ſpecies oppoſita ſubſtantiæ, non identificatur cum illo ſubjecto, ut per ſe patet. Si modificatio ſit ſubjec-

tum propoſitionis, vel eſt diverſa, vel diſtincta, vel indiſtincta à formâ prædicati: ſi primum, nulla poteſt eſſe identificatio; diverſitas enim importat multitudinem: ſi ſecundum, nulla pariter eſſe poteſt identificatio; quia quæcumque ſunt diſtincta, ne divinitùs quidem poſſunt fieri indiſtincta: ſi tertium, jam nulla eſt propoſitio; quia tunc nulla eſt habitudo, ſeu relatio prædicati ad ſubjectum; quamobrem in nullâ propoſitione, forma prædicati identificatur cum ſubjecto propoſitionis.

Concluſio tertia.

Subjectum atrributi, nunquam identificatur cum ſubjecto propoſitionis. Subjectum enim attributi, eſt *ens habens*: atqui hoc ens habens, nunquam identificatur cum ſubjecto propoſitionis. Quod enim remanet aptum, prædicari de aliis ſubjectis, non identificatur cum illo ſubjecto: atqui illud ens habens, ſic ſe habet; alioqui quando dicitur, Petrus eſt ens habens humanitatem, *ens habens* non magis eſſet univerſale, quàm ipſe Petrus: & præterea ſenſus eſſet, Petrus eſt Petrus cum humanitate: quod eſt abſurdum; proindèque, &c.

Et certè quoties enunciatur incompa-

Digitized by Google

tibilitas alicujus attributi, cum ſubjecto propoſitionis, ut in hâc propoſitione... ſpiritus non eſt corpus; non ſola corporeïtas, ſed ipſum corporeïtatis ſubjectum removetur à ſpiritu; ſenſus enim eſt... ſpiritus nulla eſt ſubſtantia, per corporeïtatem contracta; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Si ſubjectum attributi foret quid diſtinctum à ſubjecto propoſitionis, duplex eſſet ſubjectum in propoſitione ſimplici: atqui, ex nobis, duplex non eſt ſubjectum, in propoſitione ſimplici; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Duplex eſſet ſubjectum, in propoſitione ſimplici, quorum unum enunciaretur, vel cum altero conjunctum, vel ab eo ſeparatum, concedo. Duplex eſſet ſubjectum ipſius propoſitionis ſimplicis; ita ut de utroque enunciaretur aliqua habitudo, nego Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Porrò duplex quidem non eſt ſubjectum, in propoſitione ſimplici, de quo enuncietur aliqua habitudo; ſed in propoſitione ſimplici, duo ſunt ſubjecta, quorum unum dicitur, vel cum altero conjunctum, vel ab eo ſeparatum. Ubi namque duo ſunt termini concreti, aut ſaltem concretorum

vices gerentes, ibi duplex eſt ſubjectum: at in propoſitione ſimplici, vel ſunt duo termini concreti, ut in hâc propoſitione... Deus eſt omnipotens; vel ſaltem qui concretorum vices gerunt, ut in iſtâ... juſtitia eſt virtus; proindèque, &c.

Nota igitur modificationem, quæ vel eſt ſubjectum propoſitionis, ut... virtus eſt amabilis, vel eſt prædicatum, ut... juſtitia eſt virtus; eatenùs dicit concreti vices gerentem, quatenùs tunc ſpectatur, ut aliam modificationem recipiens.

Objicies. 2°. Subjectum attributi identificatur cum ſubjecto propoſitionis; modò nulla propoſitio ſit falſa, ex eo præcisè quòd adſit illa identificatio: atqui res ſic ſe habet. Dum enim dicitur, omnis homo eſt mortalis, fatentur omnes quemlibet hominem eſſe ens habens: pariter ubi dicitur, circulus non eſt quadrilaterus, omnes fatentur, circulum eſſe ens habens, quamvis negent quadrilateralitatem ipſi competere; ergo, &c.

Nego minorem. Ea namque propoſitio cenſeri debet falſa, quæ enunciat aliquid identificari cum ſubjecto propoſitionis, quod reipsâ non identificatur cum ipſo: porrò, &c. Ad primum autem exemplum, reſpondeo hominem eſſe quidem *ens habens*; ſed ita ut hoc ens habens, vagum ſit,

Digitized by Google

& indeterminatum, quod proindè non eſt ſubjectum propoſitionis, determinatum. Ad ſecundum exemplum reſpondeo, omnes fateri ſubjectum prædicati, conjunctum eſſe cum ſubjecto propoſitionis, quando prædicatum enunciatur reipsâ conjunctum; ſed non omnes fatentur, ſubjectum attributi, conjunctum eſſe cum ſubjecto propoſitionis, quando prædicatum ab ipſo removetur, ut in allatâ propoſitione. Præthereà, licet ſubjectum attributi ſemper eſſet reipsâ conjunctum cum ſubjecto propoſitionis; non idcircò identificaretur cum illo ſubjecto, quia ad conjunctionem requiruntur duo.

Inſtabis. Dici poteſt... ens habens Petreïtatem, & ens habens humanitatem, ſunt quid idem; ergo in hâc propoſitione... Petrus eſt homo, ſubjectum attributi identificatur cum ſubjecto propoſitionis.

Nego antecedens. Nam ens habens Petreïtatem, eſt quid determinatum, & ſingulare; & ens habens humanitatem, eſt quid indeterminatum, & univerſale,

De quantitate propoſitionis.

Circà propoſitionum quantitatem, inquiritur hîc, an ſingulares & indefinitæ, revocentur ad univerſales; an autem ad particulares?

Digitized by Google

Concluſio prima.

Propoſitio ſingularis revocatur ad univerſalem, ejuſdem qualitatis, id eſt, affirmans, ad affirmantem, & negans, ad negantem. Propoſitio namque, cujus ſubjectum nullatenùs reſtringitur, revocari debet ad eam propoſitionem, cujus ſubjectum pariter non reſtringitur; ſunt enim eædem leges, pro ſubjectis nullatenùs reſtrictis: atqui ſubjectum propoſitionis ſingularis, non reſtringitur, quandoquidem caret univerſalitate, quæ poſſit reſtringi; aliundè verò, ſubjectum propoſitionis univerſalis, non reſtringitur, cùm in hoc differat à particulari; proindèque, &c.

Dices. Propoſitio ſingularis revocari debet ad eam propoſitionem, à quâ minùs diſcrepat: atqui propoſitio ſingularis minùs diſcrepat à particulari, quàm ab univerſali; ergo, &c.

Nego minorem. Propoſitio namque ſingularis, ex unico tantùm capite differt ab univerſali, in eo nempè quòd ſubjectum propoſitionis ſingularis, multis ſit incommunicabile; ſubjectum autem propoſitionis univerſalis, multis ſit communicabile: at propoſitio ſingularis, ex duplici capite differt à particulari: 1°. In eo quòd ſub-

jectum propoſitionis ſingularis, multis ſit incommunicabile; non item ſubjectum propoſitionis particularis. 2°. In eo quòd ſubjectum propoſitionis ſingularis non reſtringatur; reſtringatur autem ſubjectum propoſitionis particularis.

Ubi porrò dicimus, propoſitionem ſingularem revocari ad univerſalem; hoc intelligendum eſt, eo tantùm ſenſu, quòd ſingularis ſequatur leges præſcriptas pro univerſali.

Concluſio ſecunda.

Propoſitio indefinita in materiâ neceſſariâ, revocari debet ad univerſalem metaphyſicè. Illa namque propoſitio revocatur ad univerſalem metaphyſicè, ad cujus veritatem requiritur, ut prædicatum ſit, vel eſſentialiter conjunctum cum ſubjecto, diſtributivè ſumpto, ſi ſit affirmans; vel eſſentialiter ſeparatum ab illo ſubjecto, ſi ſit negans: atqui ad veritatem propoſitionis indefinitæ in materiâ neceſſariâ, requiritur, ut prædicatum ſic ſe habeat, ad ſubjectum; alioqui non eſſet in materiâ neceſſariâ; proindèque, &c.

Dices. Hæc propoſitio.... ſubſtantia præſcindit à ſpiritualitate & corporeïtate, indefinita eſt, & in materiâ neceſſariâ: atqui revocari non poteſt ad univerſalem

metaphyſicè : dici namque non poteſt... omnis ſubſtantia præſcindit à ſpiritualitate & corporeïtate ; ergo, &c.

Reſpondeo 1°. propoſitionem mox allatam, ſtrictè loquendo, falſam eſſe. Nam ſubſtantia, ut ſubſtantia, non præſcindit à ſpiritualitate & coporeïtate ſimul : nec enim eſt inſeparabilis ab utrâque ſimul illâ formâ. Ut igitur hæ & aliæ ſimiles propoſitiones ſint veræ, duplici propoſitione debent exprimi hoc modo... ſubſtantia, per ſpiritualitatem contracta, præſcindit à ſpiritualitate... ſubſtantia, per corporeïtatem contracta, præſcindit à corporeïtate. Quod ſi ſic exprimantur.

Reſpondeo 2°. negando minorem. Verè namque dici poteſt... omnis ſubſtantia, per ſpiritualitatem contracta, præſcindit à ſpiritualitate... omnis ſubſtantia, per corporeïtatem contracta, præſcindit à corporeïtate.

Inſtabis. Si quælibet ſubſtantia, per corporeïtatem contracta, præſcinderet à corporeïtate ; corpus dici poſſet præſcindens à corporeïtate, quandoquidem corpus nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia, per corporeïtatem contracta : atqui corpus non præſcindit à corporeïtate. Hanc enim formam includit in idæâ ſuâ ; ergo, &c.

Nego ſequelam. Ex eo namque quòd pars

pars communior eſſentiæ corporis abſtrahat à corporeïtate; non idcircò tota corporis eſſentia præſcindit à corporeïtate. Ad id autem quod additur, reſpondeo corpus non eſſe ſubſtantiam contractam per corporeïtatem; ſed eſſe totum reſultans, & ex ratione ſubſtantiæ ſic contractæ, & ex corporeïtate contrahente.

Concluſio tertia.

Propoſitio indefinita in materiâ contingenti, revocatur ad univerſalem moraliter; dummodò tamen non ſit pars alicujus narrationis. Illa namque propoſitio revocatur ad univerſalem moraliter, ad cujus veritatem requiritur, ut prædicatum, vel ut plurimùm, conjungatur cum ſubjecto, ſi ſit affirmans; vel ut plurimùm, ſeparetur à ſubjecto, ſi ſit negans: atqui ad veritatem propoſitionis indefinitæ in materiâ contingenti, hoc requiritur, ſicut conſtare debet ex eo, quòd hujus conditionis defectu, falſæ ſint propoſitiones ſequentes... homo eſt doctus... homo in hâc vitâ non eſt miſer; proindèque, &c.

Dixi autem, *dummodò, tamen*, &c. quia, in hoc caſu, revocatur ad particularem, qualis eſt ſequens indefinita, quæ pars eſt narrationis paſſionis Chriſti Domini. *Milites plectentes coronam, impoſue-*

runt capiti ejus; ſenſus enim eſt... quidam milites, &c.

Colliges propoſitionem quamlibet, in rei veritate, eſſe vel univerſalem, vel particularem, aut ad alterutram revocari. Hinc Philoſophi meritò habuerunt tantùm rationem univerſalium & particularium, dum agitur de ſillogiſmis.

Quæres autem, ad quam propoſitionem revocentur indefinitæ, quarum attributa fundantur in collectione inferiorum ſubjecti; qualis eſt iſta.... Apoſtoli erant duodecim.

Reſpondeo, ipſas revocari ad univerſales, quia propoſitiones illæ ſunt ſingulares; ſenſus enim eſt... hæc numero collectio, ſcilicet Apoſtolorum, eſt numerus duodenarius.

De qualitate propoſitionis.

Circà qualitatem propoſitionum, ſequentia hîc inquiruntur. Primum, an reipsâ dentur propoſitiones, quarum aliæ ſint affirmantes, & aliæ negantes? Contendunt enim nonnulli, quaſlibet propoſitiones eſſe affirmantes. Secundum, an quælibet propoſitio ſit vel vera, vel falſa, ita ut nulla ſit indifferens, ad veritatem & falſitatem? Tertium, an duarum propoſitionum ſingularium & contradicentium,

de futuro contingenti, una ſemper ſit vera, & altera falſa? Quartum, an propoſitio in materiâ contingenti, de verâ, fieri poſſit falſa, aut vice versâ? Ut ſolvantur hæc dubia, ſint,

Concluſio prima.

Dantur propoſitiones, quarum aliæ ſint affirmantes, & aliæ negantes. Nomine namque propoſitionis affirmantis, intelligitur ea, quæ enunciat vel inſeparabilitatem, vel unionem prædicati; nomine verò propoſitionis negantis, intelligitur ea, quæ enunciat vel incompatibilitatem, vel ſeparationem prædicati: atqui dantur ejuſmodi propoſitiones, ut conſtat ex dictis; ergo, &c. Quod ſi nomine propoſitionis affirmantis, intelligatur ea, quæ enunciat aliquam habitudinem prædicati ad ſubjectum; tunc quælibet propoſitio dici poteſt affirmans: verùm hæc acceptio erit, contrà uſum receptum, à quo non recedemus.

Concluſio ſecunda.

Quælibet propoſitio eſt, vel vera, vel falſa, in materiâ quâvis; nam propoſitio quælibet enunciat de ſubjecto, habitudinem aliquam: atqui non poteſt habitudinem aliquam enunciare, quin ſit, aut

Digitized by Google

vera, aut falſa. Nimirùm habitudo enunciata, vel convenit, vel non convenit ſubjecto, quia inter convenire & non convenire, nullum datur medium. Si conveniat, propoſitio vera eſt; ſi non conveniat, propoſitio falſa eſt; ergo quælibet propoſitio eſt, vel vera, vel falſa.

Objectiones.

Objicies. 1°. Hæc propoſitio... *Ego taceo*, 1°. dici non poteſt vera. Qui enim eam pronunciat, reipsâ non tacet. 2°. Dici non poteſt falſa: fieri namque poteſt, ut qui eam pronunciat, vel nihil anteà dixerit, vel immediatè poſt, nihil ſit dicturus; ergo neque vera eſt, neque falſa.

Reſpondeo, propoſitionem illam dicere ordinem, vel ad tempus præteritum, vel ad tempus futurum, quod ex circumſtantiis dignoſcitur. Si dicat ordinem ad præteritum, vera eſt; ſi qui eam pronunciat, nihil immediatè anteà dixerit; falſa verò, ſi immediatè anteà fuerit locutus. Si dicat ordinem ad futurum, tunc eſt promiſſoria, & ſenſus eſt... in poſterùm ſilebo; undè vera eſt, ſi immediatè poſt ſileat; falſa verò, ſi non ſileat. Idem dicendum eſt de aliis ſimilibus.

Objicies. 2°. Hæ propoſitiones ſacramentales... *Ego te baptizo*... *Hoc eſt Cor-*

Digitized by Google

pus meum, &c. admittuntur ut veræ, & tamen non ſunt veræ. Propoſitiones enim de contingenti, quæ non ſupponunt objecta ſua, dici non poſſunt veræ: atqui propoſitiones allatæ verſantur in materiâ contingenti; & objecta ſua non ſupponunt, ut per ſe patet; ergo, &c.

Nego ſecundam antecedentis partem, & ad probationem diſtinguo majorem. Propoſitiones de contingenti, quæ non ſupponunt objecta ſua, dici non poſſunt veræ; ſi ſint ſpeculativæ, concedo. Si ſint practicæ, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Propoſitiones illæ dicuntur ſpeculativæ, quæ non efficiunt objecta ſua, adeòque ipſa præſupponunt; qualis eſt iſta... Petrus eſt doctus. Propoſitiones practicæ, ſunt illæ, quarum objecta producuntur, ſtatim atque à certis perſonis enunciantur, & quarum proindè veritas pendet ab objectorum illorum effectione... quales ſunt propoſitiones ſacramentales. Reverâ, &c.

Concluſio tertia.

Propoſitionum ſingularium, contradicentium de futuro contingenti, per ordinem à ſe invicem ſpectatarum, ſeu virtute contradictionis, una eſt vera, & altera falſa. Sint enim in exemplum, hæ propo-

Digitized by Google

ſitiones... Hoc numero peccatum Petri eſt futurum... idem numero peccatum Petri non eſt futurum: atqui neceſſe eſt, ut harum propoſitionum, una vera ſit, & altera falſa. Illarum enim propoſitionum, una eſt vera, & altera falſa, quæ nec poſſunt eſſe ambæ veræ, nec ambæ falſæ, nec indifferentes, ad veritatem & falſitatem: atqui propoſitiones mox allatæ, nec poſſunt eſſe ambæ veræ, nec ambæ falſæ; quia futuritio & infuturitio, nec ſimul poſſunt eſſe cum peccato Petri conjunctæ, nec ſimul ab eo ſeparatæ, ut per ſe patet: non poſſunt etiam eſſe indifferentes ad veritatem & falſitatem; quia (ex concluſione præcedenti) propoſitio quævis eſt, vel vera, vel falſa; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Illæ propoſitiones ſunt ambæ falſæ, quæ enunciant de ſubjecto, quod illi non convenit: atqui ambæ propoſitiones ſuperiùs allatæ, ſic ſe habent. Nam una enunciat futuritionem, & altera enunciat infuturitionem, de peccato Petri: atqui neque futuritio, neque infuturitio conveniunt peccato Petri. Illæ namque formæ non conveniunt ei, quod abſtrahit ab utrâque: atqui peccatum Petri

abſtrahit à futuritione & infuturitione; nec enim has formas includit in idæâ ſuâ; ergo, &c.

Nego minorem primi & ſecundi ſillogiſmi. Ad probationem autem nego etiam minorem; quia in materiâ contingenti, locus non eſt abſtractioni, quandoquidem non adeſt inſeparabilitas.

At, inquies, allatæ propoſitiones ſpectari poſſunt in ordine metaphyſico: porrò in hoc ordine, ſunt ambæ falſæ; ergo ſaltem in aliquo ordine, ſunt falſæ.

Nego majorem. Non poſſunt enim in eo ordine conſiderari, in quo non poſſunt eſſe: at propoſitiones illæ non poſſunt eſſe in ordine metaphyſico, ſeu in materiâ neceſſariâ; quia ſunt eſſentialiter in materiâ contingenti.

Objicies. 2°. Illarum propoſitionum una non eſt vera, & altera falſa, quarum objectum non eſt determinatum: atqui propoſitionum ſuprà dictarum objectum, non eſt determinatum. Quod enim eſt contingenter & liberè, vel futurum, vel infuturum, non eſt determinatum: atqui objectum illarum propoſitionum, ſic ſe habet; ergo, &c.

Nego minorem. Quod enim eſt, vel futurum, vel infuturum, ita ut nihil mediet, eſt determinatum: atqui propoſitio-

Digitized by Google

num illarum objectum eſt ita, vel futurum, vel infuturum, ut nullum detur medium, cùm nulla ſit præciſio. Ad probationem autem, nego etiam minorem. Quod enim eſt neceſſariò, vel futurum, vel infuturum, non eſt contingenter & liberè, vel futurum, vel infuturum: atqui propoſitionum illarum objectum eſt neceſſariò, vel futurum, vel infuturum, cùm nullum ſit medium. Uno verbo, peccatum, verbi gratiâ, Petri, ſi ſit futurum, contingenter eſt futurum; & ſi ſit infuturum, contingenter eſt infuturum; at ſub disjunctione eſt neceſſariò, vel futurum, vel infuturum.

Objicies. 3°. Si ex allatis propoſitionibus, una eſſet vera, & altera falſa, cognoſceret Deus, utra ſit vera, utra ſit falſa; atqui hoc dici non poteſt. Si enim Deus cognoſceret, utra ſit vera, utra ſit falſa; quæ foret vera, neceſſariò vera eſſet, quia falli non poteſt cognitio Divina; aliundè verò, ſi una ſit, neceſſariò vera, tollitur libertas creata; ergo ſignum eſt, unam non eſſe veram, & alteram falſam.

1°. Vitioſum eſt hoc ratiocinium: quatenùs procedit, à minùs noto, ad magis notum. Procedit enim, à connexione ſcientiæ Divinæ, cum actibus liberè futuris ſpirituum creatorum, ad cognitionem veri-

tatis & falſitatis duarum propoſitionum contradictoriarum : porrò connexio illa, eſt quid longè minùs notum, quàm veritas & falſitas contradictoriarum; proindèque, &c.

2°. Nego ſequelam. Nam ex ſuppoſitione factâ in noſtrâ concluſione, non ſequitur Deum cognoſcere, utra vera ſit, utra falſa; quia hoc non inquirimus; ſed ex concluſione noſtrâ ſequitur, Deum ab æterno cognoviſſe, propoſitionum illarum unam eſſe veram, & alteram falſam, virtute contradictionis.

3°. Nego minorem prioris ſillogiſmi, quia ſcilicet omnia nuda ſunt, & aperta oculis Dei. Ad probationem autem nego ſequelam. Deus enim cognoſcit entia, ut in ſe ſunt: at una ex allatis propoſitionibus ſeorſim ſumpta, contingenter eſt vera; proindèque, licet Deus cognoſcat quænam ſit vera, non idcircò neceſſariò vera eſt. Ad id autem quod ſubjungitur, nullam nempè tunc futuram eſſe libertatem creatam, reſpondeo, præviam Dei cognitionem, nullam importare neceſſitatem, in actus liberos cauſarum ſecundarum. Sed de his in Metaphyſicâ.

Objicies deniquè. Si ſuprà dictarum propoſitionum, una eſſet vera, & altera falſa; quæ vera foret, dici poſſet æternæ veri-

Digitized by Google

tatis : atqui hoc dici non poteſt ; ergo , &c.

Nego ſequelam. Uſus enim invaluit, ut illæ ſolæ propoſitiones vocarentur *æternæ veritatis*, quæ ſunt in materiâ neceſſariâ ; proindèque , &c.

Concluſio quarta.

Propoſitio in materiâ contingenti, ſignificans tempus præſens , poteſt eſſe , modò vera , modò falſa. Propoſitio enim , quæ enunciat de ſubjecto, quod illi modò convenit , modò non convenit , dici debet modò vera , modò falſa : atqui propoſitio in materiâ contingenti , & de tempore præſenti , ſic ſe habet. Sit enim , verbi gratiâ , Pater aliquis credulus , qui per horam integram , identidem hoc ferat judicium... Filius meus eſt in ſcholâ ; aliundè verò , per primam horæ dimidiam , filius abſens ſit à ſcholâ ; per alteram autem dimidiam , præſens ſit in ſcholâ. In hâc ſuppoſitione , propoſitio Patris falſa eſt , per primam horæ dimidiam ; & vera , per alteram ; ergo , &c.

Dixi autem , ſi ſignificet tempus præſens ; quia ſi ſit de præterito , quæ ſemel eſt vera, nunquam fit falſa, aut vice verſâ : pariter , ſi ſit de futuro, quæ vera eſt, nunquam erit falſa , aut vice verſâ.

Digitized by Google

De propoſitionum converſionibus.

Circà propoſitionum converſiones, hîc inquiri poteſt: 1°. an, ut docent Philoſophi, propoſitio quælibet generalis negans, ritè converti poſſit, aut ſimpliciter, aut per accidens, ad libitum? 2°. An quælibet propoſitio particularis affirmans, ritè convertatur ſimpliciter? 3°. An quælibet propoſitio generalis affirmans, converti poſſit, aut per accidens, aut per contra-poſitionem, ad libitum? 4°. Denique, an particularis negans, ritè convertatur per contra-poſitionem? His omnibus quæſtionibus ſic reſpondemus.

Concluſio prima.

Propoſitio univerſalis negans in materiâ neceſſariâ, converti poteſt ſimpliciter. Tunc enim propoſitio converti poteſt ſimpliciter, quando ſicut prædicatum totaliter à ſubjecto, ſic ſubjectum totaliter removetur à prædicato: atqui in propoſitione generali negante, & in materiâ neceſſariâ, prædicatum totaliter removetur à ſubjecto, & ſubjectum totaliter removetur à prædicato; quia nempè incompatibilitas eſt reciproca, ſeu mutua; ergo, &c. Hinc dici poteſt... *Nullus ſpiritus eſt corpus... Nullum corpus eſt ſpiritus.*

Dices. Hæ propoſitiones... Subſtantia non eſt ſpiritus... Subſtantia non eſt corpus, revocantur ad univerſales negantes: atqui converti non poſſunt ſimpliciter; nec enim dici poteſt... Nullus ſpiritus eſt ſubſtantia... Nullum corpus eſt ſubſtantia; ergo, &c.

Reſpondeo, utramque illam propoſitionem eſſe falſam, ſi particula, *non*, ſit excluſiva; quia ſubſtantia nec includit, nec excludit, ſive ſpiritualitatem, ſive corporeïtatem: quod ſi particula, *non*, ſit præciſionis ſignum; tunc utraque illa propoſitio eſt affirmans.

Concluſio ſecunda.

Propoſitio univerſalis negans in materiâ neceſſariâ, non poteſt converti per accidens. Tunc enim propoſitio converti non debet per accidens, quando prædicatum converſæ reſtringi non debet, dum ſit ſubjectum convertentis: atqui prædicatum propoſitionis univerſalis negantis, in materiâ neceſſariâ, reſtringi non debet, dum ſit ſubjectum convertentis. Tunc enim ſubjectum propoſitionis reſtringi non debet, quando prædicatum enunciatur inſociabile cum omnibus hujus ſubjecti inferioribus: atqui in materiâ neceſſariâ, prædicatum propoſitionis negantis enun-

ciatur inſociabile, cum omnibus ſubjecti inferioribus, quandoquidem incompatibilitas eſt reciproca; ergo ſubjectum reſtringi non debet; ergo converti non debet per accidens.

Concluſio tertia.

Propoſitio particularis affirmans nullatenùs converti poteſt; vel enim ejuſmodi propoſitio verſatur in materiâ neceſſariâ, vel in materiâ contingenti: atqui in neutro caſu, converti poteſt. Primò quidem ſi ſit in materiâ neceſſariâ, nullatenùs converti poteſt: nam ad hoc ſufficit, quod in materiâ neceſſariâ, ſemper ſit falſa: atqui res ſic ſe habet. Illa namque propoſitio falſa eſt, quæ enunciat prædicatum eſſentiale ſubjecto, convenire ſolummodò quibuſdam ſubjecti inferioribus: at in propoſitione particulari affirmante, & in materiâ neceſſariâ, prædicatum eſſentialiter conveniens ſubjecto, enunciatur convenire quibuſdam tantùm ſubjecti inferioribus, cùm ſignum particularitatis exceptionem denotet; ergo falſum enunciat; ergo, &c. 2°. Si ſit in materiâ contingenti, non poteſt pariter converti. In hâc namque materiâ, prædicatum eſt pars contingens ſubjecti: at ubi prædicatum eſt pars contingens ſubjecti, non poteſt fieri

converſio. Si enim tunc fieret converſio; totum affirmari poſſet, de parte ſuâ contingenti: atqui totum de nullâ ſuâ parte poteſt affirmari; ut per ſe manifeſtum eſt; proindèque propoſitio particularis affirmans, nullatenùs converti poteſt.

At, inquies, dici poteſt... Aliqua ſubſtantia eſt ſpiritus, ea nempè, quæ conjungitur cum ſpiritualitate; ergo, &c.

Nego antecedens. Cùm enim *aliqua ſubſtantia* ſit pars communior eſſentiæ ſpiritûs; ſi dici poſſet, aliqua ſubſtantia eſt ſpiritus; ſenſus eſſet, aliqua pars eſt totum, cujus eſt pars: quod eſt abſurdum.

Concluſio quarta.

Propoſitio univerſalis affirmans, nullatenùs converti poteſt. Nam in omni propoſitione univerſali affirmante, prædicatum eſt, vel genus, vel differentia, vel proprium, vel aliquid contingens; ſpecies enim prædicari tantùm poteſt de individuis: atqui in omnibus his caſibus, nullatenùs fieri poteſt converſio. Cùm enim in omnibus his caſibus, prædicatum ſit vel pars eſſentialis, vel pars contingens ſubjecti; ſi fieret converſio, totum affirmaretur de ſuâ parte, vel eſſentiali, vel contingenti: atqui hoc eſt impoſſibile, ut per ſe patet; ergo propoſitio univer-

Digitized by Google

ſalis affirmans, nullatenùs converti poteſt.

Dices. Hæc propoſitio... Omnis circulus eſt figura rotunda, poteſt ſimpliciter converti, hoc modo... Omnis figura rotunda, eſt circulus; ergo ſaltem, ubi prædicatum propoſitionis univerſalis affirmantis, eſt definitio ſubjecti, fieri poteſt converſio.

Nego antecedens. Ideò namque dici poteſt... Circulus eſt figura rotunda; quia circulus includit in idæâ ſuâ, & figuram & rotunditatem, tanquàm partes ſuas eſſentiales. Jam verò, ſi figura & rotunditas ſint partes circuli, circulus non poteſt in his includi, ſeu non poteſt eſſe pars ſuarum partium; ut per ſe manifeſtum eſt. Hinc ſi fieret hæc converſio, figura rotunda eſt circulus, prædicatum includi deberet in idæâ ſubjecti, hoc eſt, totum includeretur in ſuis partibus: quod eſt abſurdum; proindèque, &c.

Colliges falſam eſſe regulam, à Philoſophis traditam, de definitionibus entium, per quam aſſerunt, definitum & definitionem reciprocari, ſeu de ſe invicem mutuò affirmari debere.

Concluſio quinta.

Rejicienda eſt ea converſionis ſpecies, quæ vocatur *per contra-poſitionem*. Ea nam-

que converſionis ſpecies eſt rejicienda; in quâ propoſitio determinatum habens ſenſum, mutatur in aliam, quæ nullum habet ſenſum determinatum: atqui hoc contingit in converſione per contra-poſitionem. Quoties enim termini poſitivi, quorum ſignificatio determinata eſt, mutantur in infinitantes; toties poſt mutationem, nullus eſt ſenſus determinatus: verbi gratiâ, ubi dicitur *homo*, mens attendit ad objectum determinatum: ubi verò dicitur, *non homo*, mens non ampliùs attendit ad objectum determinatum; proindèque, &c.

De oppoſitione propoſitionum.

Circà propoſitionum oppoſitiones, hîc inquiri poteſt, quid ſit ſentiendum de Peripateticorum opinione, ſuperiùs expoſitâ?

Dico autem 1°. rejiciendam eſſe eam oppoſitionis ſpeciem, quæ dicta fuit *ſubalterna*. Tùm quia, juxtà Peripateticos, ambæ illæ propoſitiones ſunt, aut veræ, aut falſæ, ſaltem in materiâ neceſſariâ: porrò, quis credat eas propoſitiones inter ſe opponi, quæ ſunt ambæ veræ, & habent idem ſubjectum & idem prædicatum. Tùm quia, juxtà eoſdem, particularis includitur in univerſali ejuſdem qualitatis, *i* in *a*;

& *o* in *e*: porrò, ſi particularis ſic includatur, pugnare non poteſt cum includente. Tùm denique, quia propoſitiones ſubalternæ reipsâ non poſſunt eſſe ſimul veræ in materiâ quâvis: enim verò, in materiâ neceſſariâ, particularis ſemper eſt falſa; in materiâ verò contingenti, ſi particularis ſit vera, generalis eſt falſa, & vice verſâ.

Dico 2°. falſum eſſe, *ſubcontrarias* eſſe poſſe ſimul veras, in materiâ contingenti. Vel enim affirmatio & negatio, ſunt de eodem ſubjecto, & ſub eodem reſpectu; vel non. Si primùm, non poſſunt eſſe ſimul veræ; quia fieri non poteſt, ut idem ſimul conveniat & non conveniat eidem ſubjecto. Si ſecundùm, jam nulla eſt oppoſitio, ſicut conſtat ex oppoſitionis definitione, vel à Peripateticis traditâ. Quod ſi propoſitiones ſubcontrariæ verſentur circà materiam neceſſariam, tunc ſunt ambæ falſæ; quia in hâc materiâ, ſubjecta reſtringi non debent.

Dico 3°. quo jure, duæ ſunt oppoſitionis ſpecies, ratione qualitatis, contrarias ſcilicet & ſubcontrarias; eodem jure, duas admittendas fuiſſe ſpecies, ratione quantitatis; quia nempè ſubalternæ, vel ſunt ambæ affirmantes, vel ambæ negantes.

Dico 4°. oppoſitionem, quam vocant *contradictoriam*, & quæ dicitur ab ipſis omnium maxima, non eſſe reipsâ majorem contrariâ. Si quis enim, præſentibus centum nummis, dicat... Hi omnes nummi pertinent ad Paulum: tùm alter dicat... Nulli ex his nummis pertinent ad Paulum; profectò hæc propoſitio magis erit oppoſita priori, quàm quæ vulgò dicitur contradictoria prioris; aliqui ex his nummis, ad Paulum non pertinent.

Dico 5°. falſum eſſe contradictorias, quales vulgò admittuntur, non poſſe ſimul eſſe falſas in materiâ neceſſariâ. Nam hæ propoſitiones admittuntur, ut contradictoriæ... Omne corpus eſt intelligens... Aliquod corpus non eſt intelligens: at reipsâ ſunt ambæ falſæ: prior quidem, ut per ſe patet; poſterior autem, propter reſtrictionem, ſubjecto malè appoſitam.

Dico denique, duplicem tantùm admittendam eſſe propoſitionum oppoſitionem, ſcilicet contradictoriam, & contrariam, ſed prout fuerunt à nobis definitæ.

Colliges, æquipollentiam propoſitionum, in rei veritate oppoſitarum, facilem eſſe; efficiendo ſcilicet, ut ambæ ſint affirmantes, aut ambæ negantes, ſi reipsâ ſint contradictoriæ; vel ut ambæ de eodem

ſubjecto enuncient prædicata ſociabilia, ſi ſint reipsâ contrariæ.

TERTIA PARS LOGICÆ.

De diſcurſu.

Diſcurſus, eſt actus intellectûs, quo, mediante tertiâ idæâ, detegitur & dicitur habitudo, inter duas alias idæas; ſeu eſt actus, quo detegitur connexio unius propoſitionis, vel cum aliâ, vel cum aliis. Circà hanc intellectûs operationem, obſervandum eſt, ſextuplicem vulgò numerari diſcurſûs ſpeciem, nimirùm inductionem, exemplum, dilemma, gradationem, enthimema & ſillogiſmum.

Inductio, eſt argumentatio, in quâ, ex multis propoſitionibus ſingularibus, infertur concluſio generalis, hoc modo.

Prudentia eſt amabilis,
Fortitudo eſt amabilis,
Juſtitia eſt amabilis,
Temperantia eſt amabilis,
Ergo omnis virtus eſt amabilis.

Hæc argumentationis ſpecies, vitioſa

eſt in Philoſophiâ: vel enim fit in materiâ neceſſariâ, vel in materiâ contingenti. Si fiat in materiâ neceſſariâ, inutilis eſt, & plerumque impoſſibilis; eſt quidem inutilis, quia eo ipſo, quo prædicatum aliquod eſſentialiter convenit, aut non convenit uni individuo; ſeu ſingulari, eſſentialiter quoque convenit, aut non convenit aliis omnibus individuis: eſt etiam plerumque impoſſibilis; quia poſſibilis non eſt ſingularium omnium poſſibilium enumeratio. Si fiat in materiâ contingenti; quæcumque fiat ſingularium enumeratio, nunquam exindè poterit ritè deduci concluſio generalis, philoſophicè certa; proindèque, &c.

Exemplum, eſt argumentatio, in quâ, vel ex unâ, vel ex multis propoſitionibus, eruitur concluſio, propter aliquam ſimilitudinem, hoc modo.

Primi Chriſtiani paſſi ſunt pro Chriſto.
Ergo debemus etiam pati pro Chriſto.

Hæc argumentationis ſpecies admitti poterit, ſi duæ ſequentes adſint conditiones. Prima, ſi fiat proceſſus à magis noto, ad minùs notum. Secunda, ſi perfecta ſit ſimilitudo partium, quæ comparantur inter ſe.

Dilemma, eſt argumentatio, multis conſtans partibus; ex quibus omnibus,

Digitized by Google

contrà Adverſarium concluditur : ut ſi quis contrà Carteſium docentem, mundum nec eſſe finitum, nec infinitum; ſic argumentaretur.

Vel mundus habet terminos, vel non:
Si habeat, eſt finitus; ſi non habeat, eſt infinitus.
Ergo mundus eſt, vel finitus, vel infinitus.

Hæc argumentationis ſpecies admitti poteſt, dummodò tres adſint conditiones ſequentes. Prima, ſi inter partes ea ſit oppoſitio, quæ medium quodlibet excludat. Secunda, ſi concluſiones neceſſariò ſequantur ex partibus ſibi correſpondentibus. Tertia, ſi dilemma contrà diſputantem, retorqueri non poſſit.

Sorites, ſeu gradatio, eſt argumentatio, multis conſtans propoſitionibus, ita diſpoſitis, ut prædicatum primæ ſit ſubjectum ſecundæ; prædicatum ſecundæ, ſit ſubjectum tertiæ; & ſic deinceps, donec pro concluſione, prædicatum ultimæ tribuatur ſubjecto primæ : vocatur aliter, *argumentatio, à primo, ad ultimum*, hoc modo.

Anima rationalis, eſt ſpiritus.
Spiritus, eſt ſubſtantia.
Subſtantia, eſt ens;
Ergo anima rationalis, eſt ens.

Hæc argumentationis ſpecies nihil aliud

eſt, in rei veritate, quàm ſillogiſmorum congeries; undè admitti poteſt, dummodò tamen fiat proceſſus à minùs generalibus, ad generaliora. Si enim fieret proceſſus à generalioribus, ad minùs generalia, tunc vitioſa foret argumentatio, quia minùs generalia prædicari non poſſunt de generalioribus; ut conſtat ex dictis.

Enthimema, eſt argumentatio, in quâ, ex unicâ propoſitione, deducitur altera, hoc modo.

Omne honeſtum, eſt laudandum;
Ergo omnis virtus, eſt laudanda.

Hæc argumentationis ſpecies in eo tantùm differt à ſillogiſmo, quòd alterutra præmiſſarum non exprimatur; undè vocari ſolet, *ſillogiſmus mutilatus.* In diſputationibus publicis, excepto primo ratiocinio, vitanda eſt, quoad fieri poteſt, hæc argumentationis ſpecies; quia difficultas plerumque poſita eſt in eâ propoſitione, quæ non exprimitur: quamobrem ſi quis, inter diſputandum, enthimematibus utatur, ſubſtituendi erunt ſillogiſmi, juxtà præcepta, quæ tradentur poſteà.

Sillogiſmus, eſt argumentatio, in quâ, ex duabus propoſitionibus, certâ ratione diſpoſitis, tertia neceſſariò ſequitur, hoc modo.

Digitized by Google

Omne honeſtum, eſt laudandum;
Omnis virtus, eſt honeſta;
Ergo omnis virtus eſt laudanda.

Hæc argumentationis ſpecies, eſt omnium perfectiſſima; undè Philoſophi de ipsâ fusè diſſerunt; ſit igitur,

De ſillogiſmo.

Hoc ordine, dicemus de ſillogiſmo; 1°. Materiam ejus examinabimus. 2°. Formam ejus exponemus, juxtà veterum & recentiorum opiniones. 3°. Trademus principia & regulas, tùm generales, tùm particulares, quibus Philoſophi totam vim ſillogiſticam inniti contendunt. 4°. Quaſdam artificioſas ſillogiſmorum reductiones, à Peripateticis excogitatas, proponemus. 5°. Tradentur regulæ, de enthimematibus ad ſillogiſmos reducendis. 6°. Varias ſillogiſmorum ſpecies referemus, & examinabimus. 7°. Totam ſillogiſmorum doctrinam, à Philoſophis traditam, ad examen revocabimus. 8°. Varias ſubjungemus obſervationes, circà ſillogiſmos compoſitos. 9°. Denique præcipuos errorum fontes, circà hanc intellectûs operationem indicabimus, cum regulis ut vitentur.

De materiâ ſillogiſmi.

Materia ſillogiſmi, eſt id ex quo com-

Digitized by Google

ponitur ſillogiſmus; & duplex eſt, remota & proxima. Termini, ſunt materia remota; & propoſitiones, ſunt materia proxima; ſicut dictum fuit in brevi noſtrâ diſcurrendi methodo.

Ideò autem, 1°. prædicatum concluſionis dictum fuit *majus extremum*; quia poteſt magis patere, ſeu univerſalius eſſe, quàm ſubjectum, & nunquam minùs. Ideò 2°. ſubjectum concluſionis vocatum fuit *minus extremum*, quia poteſt minùs patere, quàm prædicatum, & nunquam magis. Ideò 3°. terminus, qui nunquam ingreditur concluſionem, dictum fuit modò *medium*, modò *terminus medius*, quia ſignificat tertiam idæam notiorem, quâ mediante, detegitur habitudo inter majus extremum, & minùs extremum.

De formâ ſillogiſmi.

Forma ſillogiſmi, ut dictum fuit, eſt artificioſa ipſius materiæ diſpoſitio; undè, quoniam duplex eſt ſillogiſmi materia, duplex quoque eſt ſillogiſmi forma; ſcilicet *figura* & *modus*.

De figurâ ſillogiſmi.

Figura ſillogiſmi, definiri poteſt terminorum artificioſa diſpoſitio, apta ad ritè concludendum. Quoniam autem concluſio ſemper

ſemper eadem permanet, id eſt, quoniam majus eſt extremum, ſemper eſt ejus prædicatum; & minus extremum, ſemper eſt ejus ſubjectum; exindè manifeſtum eſt, totuplicem eſſe ſillogiſmi figuram diverſam, quotuplex eſt modus diverſus, quo medium diſponi poteſt in præmiſſis, cum duobus extremis: porrò, quatuor ſunt ejuſmodi diſpoſitiones diverſæ; adeòque quatuor ſunt ſillogiſmorum figuræ diverſæ.

In primâ figurâ, medium ſubjicitur in majore, & prædicatur in minore, ut in hoc ſillogiſmo.

Quod habet partes ſubſtantiales, *eſt diviſibile.*
Atqui corpus habet partes ſuſtantiales.
Ergo corpus eſt diviſibile.

In ſecundâ figurâ, medium prædicatur in utrâque præmiſsâ, ut in ſillogiſmo ſequenti.

Nullum corpus, *eſt* ſpiritus;
Anima rationalis, *eſt* ſpiritus;
Ergo anima rationalis, *non eſt corpus.*

In tertiâ figurâ, medium ſubjicitur in utrâque præmiſsâ, ut,

Aliqui homines, *non ſunt docti;*
Omnis homo, *eſt miſer;*
Ergo aliquis miſer, non eſt doctus.

In quartâ figurâ, medium prædicatur

in majore, & ſubjicitur in minore: ut;

Omnis ſpiritus, *eſt* agendi capax;
Nullum agendi capax, *diviſibile eſt*;
Ergo nullum diviſibile, *eſt ſpiritus*.

Ut hæ ſillogiſmorum figuræ, memoriæ faciliùs mandentur, ſequens proponitur verſiculus.

Sub præd: tum præd, præd: tum ſub, ſub: deniquè præd, ſub.

Nonnulli contendunt, quartam figuram à prima non differre: horum opinio refelletur in Concertationibus.

De modis ſillogiſmorum.

Ex eo quòd omnes propoſitiones revocentur ad quatuor, quæ deſignantur per vocales, *a*, *e*, *i*, *o*; & ex eo quòd tres tantùm ſint propoſitiones in ſillogiſmo: exindè ſequitur, totuplicem eſſe ſillogiſmorum modum, quotuplex eſt diverſa diſpoſitio, quatuor illarum vocalium, ternatim ſumptarum, ſive ſint ſimiles, ſive ſint diverſæ. Jam verò, juxtà combinationum leges, quatuor illæ vocales, ternatim ſumptæ, ſexaginta quatuor modis diverſis diſponi poſſunt, ſicut apparet in ſequenti Schemate.

SCHEMA.

A A A	* E A A	* I A A	* O A A
* A A E	E A E	* I A E	* O A E
A A I	* E A I	I A I	* O A I
* A A O	E A O	* I A O	O A O
* A E A	* E E A	* I E A	* O E A
A E E	* E E E	* I E E	* O E E
* A E I	* E E I	* I E I	* O E I
* A E O	* E E O	* I E O	* O E O
* A I A	* E I A	* I I A	* O I A
* A I E	* E I E	* I I E	* O I E
A I I	* E I I	* I I I	* O I I
* A I O	E I O	* I I O	* O I O
* A O A	* E O A	* I O A	* O O A
* A O E	* E O E	* I O E	* O O E
* A O I	* E O I	* I O I	* O O I
A O O	* E O O	* I O O	* O O O

Ex his modis, quinquaginta quatuor inepti ſunt, ad ritè concludendum, ſicut oſtendetur, exponendo leges generales; undè decem tantùm ſuperſunt legitimi, qui pro diverſis ſillogiſmorum figuris, multiplicantur ad numerum uſque undevigeſimum: ejuſmodi novem decim modi, vocibus artificioſis exprimuntur in quatuor ſequentibus verſiculis.

Barbara, celarent, darii, ferio: baralipton,
Celantes, dabitis, fapeſmo, friſeſomorum.
Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco. Darapti,
Felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon.

In ſententiâ eorum, qui tres tantùm admittunt ſillogiſmorum figuras, novem priores voces pertinent ad primam figuram: quatuor ſequentes, ad ſecundam; & ſex reliquæ, ad tertiam. Volunt autem, ex novem modis, ad primam figuram pertinentibus, quatuor priores eſſe directos & perfectos; quinque verò poſteriores, indirectos & imperfectos.

Modus ab illis Philoſophis vocatur *directus*, in quo concluſio deducitur ex præmiſſis, ſecundùm expectationem Audientium.

Modus autem vocatur *indirectus*, in quo concluſio deducitur ex præmiſſis, contrà expectationem Audientium.

Modus ab iiſdem dicitur *perfectus*, in quo termini concluſionis eandem habent ſedem in præmiſſis, ac in concluſione; *imperfectus* verò, in quo, vel unicus concluſionis terminus aliam habet ſedem in præmiſſis, ac in concluſione. Ex his apparet in horum Philoſophorum ſententiâ, quinque poſteriores modos primæ figuræ,

eſſe ſimul indirectos & imperfectos ; deindè modos ſecundæ & tertiæ figuræ eſſe quidem directos, ſed imperfectos ; undè juxtà ipſos, ſoli quatuor priores modi, primæ figuræ, ſunt ſimul directi & perfecti.

In ſententiâ eorum, qui quatuor admittunt ſillogiſmorum figuras, quatuor priores voces pertinent ad primam figuram ; quinque ſequentes ad quartam, dummodò tamen ſic enuncientur *bamalipton, calentes, dibatis, feſapo, freſiſolorum* : quatuor ſequentes, ad ſecundam ; & quatuor reliquæ, ad tertiam.

Si quis igitur conficere voluerit ſillogiſmum in aliquo, ex ſupradictis modis, obſervare debet, 1°. tres eſſe vocales in unâquâque voce ſupradictorum verſiculorum ; ita ut ſi plures occurrant, metri tantùm causâ fuerint additæ. 2°. Ex tribus illis prioribus vocalibus, primam eſſe ſignum majoris propoſitionis ; ſecundam eſſe ſignum minoris, & tertiam eſſe ſignum concluſionis. 3°. Ad quam ſillogiſmorum figuram pertineat modus, in quo ſillogiſmus proponitur conficiendus, ut nempè medium, juxtà figuram illam diſponatur in præmiſſis. Si igitur hæc tria ſerventur, conficietur ſillogiſmus : verbi gratiâ, in *celarent*, hoc modo.

CE. . . . . *Nullum corpus, eſt intelligens;*
LA. . . . . *Omnis planta, eſt corpus;*
RENT. . *Ergo nulla planta, eſt intelligens.*

De principiis & regulis ſillogiſmorum.

Principia ſillogiſmorum, ſunt propoſitiones, quæ ſpectantur tanquàm bazes & fundamenta, quibus nititur vis concludendi. Quatuor numerantur ejuſmodi principia.

Primum ſic ſe habet... Propoſitio particularis includitur in univerſali ejuſdem qualitatis, *i* in *a*, & *o* in *e*.

Secundum... Propoſitio ſuam deſumit univerſalitatem, aut particularitatem, à ſubjecto.

Tertium... Prædicatum propoſitionis affirmantis, ſemper ſumitur particulariter.

Quartum... Attributum propoſitionis negantis, ſemper ſumitur univerſaliter.

Ex his quatuor principiis, putant deduci poſſe regulas ſillogiſmorum, quarum aliæ dicuntur *generales;* aliæ verò, *particulares.*

Regulæ generales.

Regulæ generales, vocantur illæ, quæ ſervandæ ſunt in ſillogiſmis, cujuſlibet

Digitized by Google

figuræ, & modi. Hæ regulæ poſſunt ad ſex ſequentes revocari.

Quamvis autem veterum & recentiorum Philoſophorum opiniones hîc ſolummodò referamus: quia tamen ejuſmodi regulæ, ſunt velut corollaria noſtræ diſcurrendi methodi; ideò leges has demonſtrabimus, conſequenter ad noſtra principia.

Prima Lex.

In omni ſillogiſmo, medium ſemel ſaltem diſtribui debet in præmiſſis, hoc eſt, ſemel ſaltem ſumi debet pro ſuis omnibus inferioribus.

Demonſtratio.

Omne medium inſervire debet, ad detegendam habitudinem majoris extremi, cum minori extremo: atqui ad id inſervire non poterit, niſi ſemel ſaltem in præmiſſis diſtribuatur. Niſi namque ſemel diſtribuatur, accipi poterit pro diverſis ſuis ſpeciebus, aut pro diverſis ſpecierum individuis: porrò, ſi ſic accipiatur, non poterit inſervire ad ſupradictam habitudinem detegendam: quia tunc æquivalebit duobus diverſis mediis, cum habitudine detegendâ minimè connexis; proindèque, &c.

Digitized by Google

Ut autem dignoſcas, an medium in alterutrâ præmiſſarum diſtribuatur; perpendendum eſt, an ſit ſubjectum; an autem prædicatum propoſitionis. Si ſit ſubjectum, diſtribuitur, quando propoſitio eſt univerſalis, (per ſecundum principium); ſi verò ſit prædicatum, diſtribuitur, quando propoſitio eſt negans, (per quartum principium).

Secunda Lex.

Termini non accipiantur generaliùs in concluſione, quàm in præmiſſis.

Demonſtratio.

Si termini generaliùs ſumantur in concluſione, quàm in præmiſſis; comparati fuerunt cum termino medio aliter, ac ſe habent in concluſione; & conſequenter legitima non erit eorum comparatio, cum termino medio.

Corollaria.

Primum. Plures eſſe debent termini, univerſaliter ſumpti in præmiſſis, quàm in concluſione. Nam termini, qui ſumuntur univerſaliter in concluſione, debent quoque univerſaliter ſumi in præmiſſis, (per hanc ſecundam legem); aliundè verò, medium ſemel ſaltem accipi debet univer-

Digitized by Google

ſaliter in præmiſſis, per primam legem; ergo, &c.

Secundum. Si concluſio ſit negans, majus extremum ſumi debet univerſaliter in majore. Nam ſi concluſio ſit negans, ejus prædicatum, nempè majus extremum, ſumitur univerſaliter, (per quartum principium); ergo idem majus extremum ſumi debet univerſaliter in majore, per hanc ſecundam legem.

Tertium. Si concluſio ſit negans, propoſitio major non poteſt eſſe particularis affirmans. Nam majus extremum ſumitur univerſaliter in concluſione negante, per quartum principium; ergo deberet ſumi univerſaliter in majore, per hanc ſecundam legem: at non poterit univerſaliter ſumi in majori particulari affirmante, per ſecundum & tertium principia; proindèque, &c.

Quartum. Quando minùs extremum ſumitur particulariter in minore, concluſio debet eſſe particularis; alioqui ſumeretur univerſaliùs in concluſione, quàm in minore: quod eſt contrà ſecundam hanc legem.

Quintum. Si propoſitio minor ſit univerſalis negans, concluſio poterit eſſe univerſalis. Si enim minor ſit univerſalis negans, minùs extremum in eâ ſumitur uni-

verſaliter, per ſecundum & quartum principia; ergo poterit univerſaliter ſumi in concluſione; ergo concluſio poterit eſſe univerſalis.

Tertia Lex.

Ex duabus præmiſſis negantibus, nihil ritè concluditur.

Demonſtratio.

Quando major & minor ſunt negantes, majus & minus extrema ſeparantur à medio: at quando majus & minus extrema ſeparantur à medio, nec ſequitur, quòd ſint à ſe invicem ſeparata, quia poſſunt eſſe conjuncta; nec ſequitur, quòd ſint inter ſe conjuncta, quia poſſunt eſſe à ſe invicem ſeparata; proindèque, &c.

Quarta Lex.

Ex duabus præmiſſis affirmantibus, non ſequitur concluſio negans.

Demonſtratio.

Quando major & minor affirmant; ſignum eſt, duo extrema eſſe cum medio conjuncta: porrò, ex eo quòd ſint cum medio conjuncta, ſequi debet, ipſa eſſe inter ſe conjuncta; ergo concluſio non debet eſſe negans.

Digitized by Google

Quinta Lex.

Concluſio ſequi debet, debiliorem præmiſſarum partem. Hanc legem ut intelligas,

Nota, propoſitionem negantem vocari à Philoſophis, *deteriorem* & *debiliorem* affirmante : deindè propoſitionem particularem ab iiſdem vocari, *deteriorem* & *debiliorem* univerſali. Senſus igitur legis eſt... Quoties una præmiſſa negans eſt; toties concluſio negare debet... Et quoties una præmiſſa particularis eſt; toties concluſio debet eſſe particularis.

Demonſtratio prioris partis.

Quoties una præmiſſa negat ; toties altera præmiſſa debet eſſe affirmans, per tertiam legem; jam verò ſi una ſit negans, & affirmet altera; ſignum eſt unum concluſionis extremum, ſeparatum eſſe à medio, & alterum eſſe cum eodem conjunctum : at ex eo quòd unum ſit à medio ſeparatum, & alterum cum ipſo ſit conjunctum, neceſſariò ſequitur, ipſa eſſe à ſe invicem ſeparata; ergo concluſio tunc debet eſſe negans.

Demonſtratio poſterioris partis.

Quando una præmiſſa particularis eſt;

Digitized by Google

concluſio debet eſſe particularis. Niſi namque concluſio tunc eſſet particularis, vel eſſet univerſalis affirmans, vel univerſalis negans: atqui neutrum dici poteſt.

Primò quidem, ſi una præmiſſa ſit particularis, concluſio non poteſt eſſe univerſalis affirmans. Si enim concluſio tunc eſſet univerſalis affirmans, non plures eſſent termini, univerſaliter ſumpti, in præmiſſis, quàm in concluſione; ſi quidem duæ præmiſſæ deberent in hâc hypotheſi, eſſe affirmantes; & conſequenter earum prædicata ſumerentur particulariter, per tertium principium; aliundè verò, una præmiſſa ſupponitur particularis; adeòque ſupereſſet unica ſedes, nimirùm ſubjectum alterius propoſitionis, in quâ reperiri poſſet terminus, univerſaliter ſumptus; ergo non eſſent plures termini, univerſaliter ſumpti in præmiſſis, quàm in concluſione, quod eſt contrà primum corollarium; ergo, &c.

2°. Si una præmiſſa ſit particularis, concluſio non poteſt eſſe univerſalis negans. Si enim tunc eſſet univerſalis negans, duo termini concluſionis ſumerentur univerſaliter, per ſecundum & quartum principia. Prætereà, duo tantùm termini ſumi poſſent univerſaliter in præmiſſis, quia cùm ambæ præmiſſæ non poſ-

ſent eſſe negantes, unum prædicatum ſumetur particulariter, & aliud nempè ſubjectum præmiſſæ particularis ſumetur particulariter; ergo non plures eſſent termini generaliter ſumpti in præmiſſis, quàm in concluſione: quod eſt contrà primum corollarium; ergo ſi alterutra præmiſſa ſit particularis, concluſio nec poteſt eſſe univerſalis affirmans, nec univerſalis negans; ergo debet eſſe particularis.

Sextum corollarium.

1°. Si concluſio poſſit eſſe generalis, utique poterit eſſe particularis, per primum principium.

2°. Si poſſit eſſe particularis, non ideò poterit eſſe generalis.

Sexta Lex.

Ex duabus præmiſſis particularibus, nihil ritè concluditur.

Demonſtratio.

Quando duæ præmiſſæ ſunt particulares, vel ambæ ſunt affirmantes, vel ambæ negantes; vel una affirmat, & altera negat: atqui in his omnibus caſibus, nihil ritè concluditur. Non primò, ſi ſint ambæ affirmantes: quia terminus medius in neu-

tiâ diſtribueretur. Non ſecundò, ſi ſint ambæ negantes, per tertiam legem. Non tertiò, ſi una ſit affirmans, & altera negans: quia tunc non plures eſſent termini, univerſaliter ſumpti in præmiſſis, quàm in concluſione; ſicut attendenti patebit; ergo, &c.

Per has leges & earum corollaria, excluduntur quinquaginta quatuor modi; ita ut quidam per unicam tantùm; alii verò, per multas ejuſmodi leges excludantur: hinc ſuperſunt tantùm decem modi legitimi, quorum quatuor ſunt affirmantes, & ſex negantes.

SCHEMA.

Affirmantes.	A	A	A	*Negantes.*	A	E	E
	A	A	I		A	O	O
	A	I	I		E	A	E
	I	A	I		E	A	O
					E	I	O
					O	A	O

Regulæ ſpeciales.

Hæ regulæ vocantur ſpeciales, quia ſingularum ſillogiſmi figurarum ſunt propriæ.

Pro primâ figurâ.

Duæ ſunt leges, pro primâ figurâ, hoc verſiculo comprehenſæ.

Sit minor affirmans, nec major ſit ſpecialis.

Demonſtratur prior lex.... Si minor eſſet negans in primâ figurâ, concluſio foret quoque negans, per quintam legem generalem; & major eſſet affirmans, per tertiam legem generalem: at in primâ figurâ, concluſio non poteſt eſſe negans, dum major eſt affirmans. Si enim concluſio foret negans, dum major eſt affirmans; majus extremum, quod in hâc figurâ prædicatur in majore, ſumeretur particulariter in hâc majore, per tertium principium; & ſumeretur univerſaliter in concluſione negante, per quartum principium: atqui hoc fieri non poteſt, per ſecundam legem generalem; ergo minor debet eſſe affirmans.

Demonſtratur lex poſterior... Minor debet eſſe affirmans in hâc figurâ, per priorem hujus legis partem; ergo terminus medius, qui eſt ejus prædicatum, ſumitur particulariter in hâc minore, per tertium principium; ergo ſumi debet univerſaliter in majore, per primam legem generalem: eſt autem hujus majoris ſub-

jectum ; ergo major debet eſſe generalis, per ſecundum principium.

Ex decem modis legitimis, quatuor tantùm pertinere poſſunt ad primam figuram ; duo affirmantes, *a a a*, & *a i i*; duo negantes, *e a e*, & *e i o ;* cæteri namque excluduntur per duas leges mox probatas.

Pro ſecundâ figurâ.

Duæ ſunt leges pro ſecundâ figurâ, ſequenti verſiculo comprehenſæ.

Una negans praeat ; nec major ſit ſpecialis.

Demonſtratur prior lex... In hâc figurâ, medium prædicatur in utrâque præmiſsâ, ut igitur ſemel ſaltem diſtribuatur ; una præmiſſa debet eſſe negans.

Demonſtratur poſterior lex.... Una præmiſſa debet eſſe negans, per partem priorem ; ergo concluſio erit negans ; ergo majus extremum ſumitur univerſaliter in concluſione ; ergo ſumi debet univerſaliter in majore, per ſecundam legem generalem ; ergo cùm in hâc figurâ ſit ſubjectum majoris, major debet eſſe generalis.

Ex decem legitimis modis, quatuor tantùm pertinere poſſunt ad ſecundam figuram, *e a e : a e e : e i o : a o o :*

cæteri namque excluduntur per has duas leges.

Pro tertiâ figurâ.

Duæ ſunt leges pro tertiâ figurâ, ſequenti verſiculo deſignatæ.

Sit minor affirmans; concluſio particularis.

Demonſtratur prior lex... Si minor eſſet negans, major eſſet affirmans; & concluſio negans: atqui hoc fieri non poteſt; quia majus extremum ſumeretur particulariter in majore affirmante, & univerſaliter in concuſione negante; quod eſt contrà ſecundam legem generalem.

Demonſtratur poſterior lex... Minor debet eſſe affirmans, per præcedentem; ergo minus extremum, quod eſt ejus prædicatum, ſumitur particulariter in minore; ergo ſumi debet particulariter in concluſione; ergo concluſio debet eſſe particularis.

Ex decem legitimis modis, ſex pertinere poſſunt ad tertiam figuram, nimirùm, *a a i: e a o: i a i: a i i: o a o: e i o:* cæteri excluduntur per duas hujus figuræ leges.

Pro quartâ figurâ.

Tres ſunt leges pro quartâ figurâ;

ſequentibus verſiculis expreſſæ.

Major ubi affirmat, generalis tunc minor eſto;
Si minor affirmat, concluſio ſit ſpecialis.
Si neget hæc, major generalis poſtulat eſſe.

Demonſtratur prima lex... Si major ſit affirmans; medium, quod eſt ejus prædicatum, ſumitur particulariter; ergo ſumi debet univerſaliter in minore, cujus eſt ſubjectum; ergo minor tunc debet eſſe generalis.

Demonſtratur ſecunda lex... Si minor ſit affirmans, minus extremum, quod eſt ejus prædicatum, in ipsâ ſumitur particulariter; ergo concluſio debet eſſe particularis.

Demonſtratur tertia lex... Si concluſio ſit negans; majus extremum in ipsâ ſumitur univerſaliter; ergo debet etiam univerſaliter accipi in majore, cujus eſt ſubjectum; ergo major tunc eſſe debet generalis.

Ex decem legitimis modis, quinque pertinere poſſunt ad quartam figuram, nimirùm, *a a i: a e e: i a i: e a o: e i o:* cæteri excluduntur per leges hujus figuræ.

De ſillogiſmorum reductionibus.

Philoſophi, ut monuimus, admittunt

modos indirectos & imperfectos; hinc excogitarunt methodum, ejuſmodi ſillogiſmos reducendi, ad directos & perfectos; hancque reductionem vocant *oſtenſivam.* Præterea, quoniam nonnulli, conceſſis præmiſſis ſillogiſmorum indirectorum & imperfectorum, negant concluſionem; ideò, ut homines illos ad incommodum adducant, aliam etiam invenerunt reductionis ſpeciem, quam vocant *ad impoſſibile.*

De reductione oſtenſiva.

Reductio oſtenſiva, eſt revocatio ſillogiſmi indirecti & imperfecti, ad directum & perfectum: quoniam autem ſoli quatuor primi modi primæ figuræ, directi ſunt & perfecti; ideò cæteri omnes dicuntur, *reductibiles.* Ut autem hujus reductionis artificium intelligas,

Nota 1°. quemlibet modum, aut indirectum, aut imperfectum, incipere ab aliquâ è conſonantibus, à quibus incipiunt quatuor modi directi & perfecti: incipiunt enim ab unâ ex his quatuor conſonantibus, B, C, D, F; hinc ſi quis modus, aut imperfectus, aut indirectus, incipiat à conſonantibus, B, ut *baralypton*, ſignum eſt, ipſum eſſe reducendum

ad *barbara*; ſi incipiat à conſonante, C, ut *cameſtres*, ſignum eſt, ipſum eſſe reducendum ad *celarent*; & ſic de aliis.

Nota 2°. in omnibus modis, ſive indirectis, ſive imperfectis, habendam eſſe rationem harum aliarum conſonantium, S, P, M, C.

His notatis, duos proponunt ſequentes verſiculos, totum hujus reductionis artificium continentes.

S, vult ſimpliciter verti; P, verò, per accid.
M, vult tranſponi; C, per impoſſibile duci.

Senſus horum verſiculorum hic eſt. 1°. Si conſonans, S, reperiatur in aliquo modo, vel indirecto, vel imperfecto, tunc propoſitio deſignata per vocalem, quæ conſonantem hanc immediatè antecedit, convertenda erit ſimpliciter.

2°. Si conſonans, P, in iiſdem modis reperiatur, tunc propoſitio deſignata per vocalem immediatè antecedentem, convertenda erit per accidens.

3°. Si in aliquo ex illis modis, occurrat conſonans, M, tunc tranſponendæ erunt præmiſſæ.

4°. Denique, ſi in aliquibus ex illis modis, occurrat conſonans, C, nimirùm in *Baroco* & *Bocardo*, ſignum erit, modos

illos reduci non poſſe oſtenſivè, ſed reducendos eſſe ad impoſſibile.

Si igitur ſillogiſmus ſequens proponatur oſtenſivè reducendus.

FA... *Omnis ſpiritus, eſt ſubſtantia;*
PES.. *Nullum corpus, eſt ſpiritus;*
MO.. *Ergo aliqua ſubſtantia non eſt corpus.*

1°. Quia hic modus incipit à conſonante, F, ſignum eſt, ipſum eſſe reducendum ad *ferio.*

2°. Quoniam conſonans, P, ſequitur vocalem, A, quæ majorem deſignat; ideò major erit convertenda per accidens, hoc modo.

Aliqua ſubſtantia, eſt ſpiritus.

3°. Quia conſonans, S, immediatè ſequitur vocalem, E, quæ denotat minorem propoſitionem; ideò minor erit convertenda ſimpliciter hoc modo.

Nullus ſpiritus, eſt corpus.

4°. Quia conſonans, M, reperitur in hoc modo; ſignum eſt, præmiſſas eſſe tranſponendas. His omnibus ſervatis, reſultabit ſillogiſmus hic in

FE.. *Nullus ſpiritus, eſt corpus;*
RI.. *Aliqua ſubſtantia, eſt ſpritus;*
O.. *Ergo aliqua ſubſtantia, non eſt corpus.*

Digitized by Google

De reductione ad impoſſibile.

Reductio ad impoſſibile, eſt argumentatio, quâ quis, negatâ concluſione ſillogiſmi, cujus præmiſſas conceſſit, concedere cogitur etiam concluſionem, quæ ſit vel contradictoria, vel contraria alterutrius præmiſſæ jam conceſſæ; undè quoniam nec contradictoriæ, nec contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ; ideò per hanc argumentationis ſpeciem, dicitur ad impoſſibile redactus.

Hæc reductio fit, aſſumendo contradictoriam concluſionis negatæ: atque ex ipsâ, & ex alterutrâ præmiſsâ jam conceſsâ, inferenda erit concluſio directa, quæ ſemper erit, vel contradictoria, vel contraria alterutrius præmiſſæ jam conceſſæ: ideò autem aſſumitur contradictoria concluſionis negatæ, quia qui propoſitionem aliquam negat, cenſetur ejus contradictoriam concedere.

Ut autem dignoſcas, quænam ex præmiſſis ſit aſſumenda, ut ex ipsâ, & ex contradictoriâ concluſionis negatæ, deducatur concluſio, vel contradictoria, vel contraria præmiſſæ jam conceſſæ; variæ traduntur regulæ pro tribus figuris, quas ſolas admittunt Peripatetici: ejuſmodi regulæ verſiculis exprimi ſolent.

Digitized by Google

Pro prima figura.

Major ſit minor, ut ſit contradictio major:
Dempto, celantes, *in quo convertitur ordo.*

Senſus prioris verſiculi hic eſt... Condictoria concluſionis negatæ ponenda erit loco majoris; & major, loco minoris; tunc inferenda erit concluſio directa: verbi gratiâ, ſit ſillogiſmus in

BA... *Omnis ſpiritus, eſt ſubſtantia;*
RA... *Omnis anima rationalis, eſt ſpiritus;*
LYP.. *Ergo aliqua ſubſtantia, eſt anima rationalis.*

Si quis igitur, conceſſis hujus ſillogiſmi præmiſſis, neget concluſionem; ſervatâ regulâ, per priorem verſiculum præſcriptâ, ſic erit argumentandum in

CE... *Nulla ſubſtantia, eſt anima rationalis;*
LA... *Omnis ſpiritus, eſt ſubſtantia;*
RENT. *Ergo nullus ſpiritus, eſt anima rationalis.*

Senſus poſterioris verſiculi hic eſt. Si ſillogiſmus, cujus concluſio fuit negata, exiſtat in modo, *celantes*; tunc invertendus erit ordo, id eſt, propoſitio, quæ erat minor illius ſillogiſmi, ponenda erit loco majoris, in argumentatione novâ;

Digitized by Google

& contradictoria concluſionis negatæ ponenda erit loco minoris : tunc inferenda erit concluſio directa : verbi gratiâ, ſit ſillogiſmus in

CE... *Nulla virtus, eſt vituperabilis;*
LAN.. *Omnis temperantia, eſt virtus;*
TES.. *Ergo nullum vituperabile, eſt temperantia.*

Si quis igitur, conceſſis præmiſſis, neget concluſionem; contrà ipſum ſic erit argumentandum in

DA.. *Omnis temperantia, eſt virtus;*
RI... *Aliquod vituperabile eſt temperantia;*
O... *Ergo aliquod vituperabile, eſt virtus.*

Pro ſecunda figura.

Servat majorem, variatque ſecunda minorem.

Senſus eſt... In reducendis ſillogiſmis ſecundæ figuræ, major eadem permanere debet in argumentatione novâ; & loco minoris, apponenda eſt contradictoria concluſionis negatæ : tunc inferenda erit concluſio directa. Exempla hujus reductionis ſunt inventu facilia.

Pro tertia figura.

Tertia majorem variat, ſervatque minorem.

Senſus eſt... in reducendis ſillogiſmis tertiæ

tertiæ figuræ, contradictoria concluſionis negatæ ponenda erit loco majoris, & retinenda erit eadem minor; tunc inferenda erit concluſio directa.

Jam verò, ut intelligas, ad quam è quatuor modis directis ac perfectis, revocandus ſit quilibet modus indirectus & imperfectus; ſequentem proponunt figuram.

PHŒ

Baralypton;

BI FER A XIS

Celantes, dabitis, fapeſmo, friſeſomorum.

O BIT TER RAS SPHŒ

Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco. Darapti,

RAM QUE QUOT AN NIS.

Felapton, diſamis, datizi, bocardo, ferizon.

In hoc ſchemate, ſuprà ſingulos modos indirectos & imperfectos, collocandæ ſunt ſingulæ ſyllabæ ſequentis verſiculi.

Phœbifer axis, obit terras, ſpheramque quot annis.

In ſyllabis hujus verſiculi, habenda tantùm eſt ratio quatuor vocalium, *a, e, i, o.* Senſus autem eſt, eos omnes modos, in quos cadit vocalis, *a*, revocandos eſſe ad

barbara; eos, in quos cadit vocalis, *e*, ad *celarent*; eos, in quos cadit vocalis, *i*, ad *Darii*; & eos, in quos cadit vocalis, *o*, ad *ferio*.

De reductione entyhmematis ad ſillogiſmum.

Enthymema, ſicut dictum fuit, eſt ſillogiſmus mutilatus, ſeu cujus una præmiſſa non fuit enuntiata; quamobrem ut ad ſillogiſmum revocetur, enuntianda eſt ejuſmodi propoſitio.

Ut autem dignoſcas, quænam deſit propoſitio, perpendendum eſt 1°. quiſnam concluſionis terminus reperiatur in antecedente cum medio. 2°. Revocandum eſt in memoriam, majorem propoſitionem componi ex majore extremo, & ex medio; minorem verò, ex minore extremo, & ex medio.

His præſuppoſitis, ſi prædicatum concluſionis reperiatur in antecedente, cum medio; ſignum eſt, hoc antecedens eſſe majorem propoſitionem; & proindè deeſſe minorem. Deinde, ſi ſubjectum concluſionis reperiatur in antecedente cum medio; ſignum eſt, hoc antecedens eſſe minorem, & proindè deeſſe majorem.

Facile autem erit, vel majorem, vel

minorem enunciare: major quippè componitur ex prædicato concluſionis, & ex medio; minor verò, componitur ex ſubjecto concluſionis, & ex medio. Sit igitur ſequens enthymema reducendum ad ſillogiſmum.

Omnis virtus, eſt amabilis;
Ergo temperantia, eſt amabilis.

1°. Quia hic terminus, *virtus* non reperitur in concluſione; ſignum eſt, ipſum eſſe medium. 2°. Quia prædicatum concluſionis reperitur in antecedente, cum hoc medio; ideò hoc antecedens, eſt major propoſitio; adeòque deeſt minor. 3°. Quoniam minor propoſitio componitur ex ſubjecto concluſionis & ex medio, facile erit eam enuntiare hoc modo... atqui temperantia eſt virtus; tuncque ſillogiſmus erit integer. Sit rursùs ſequens enthymema revocandum ad ſillogiſmum.

Omnis modificatio, eſt ens in alio;
Ergo nulla modificatio eſt ſubſtantia.

1°. Quia hæ voces, *ens in alio*, non reperiuntur in concluſione; ideò tenent locum termini medii. 2°. Quia ſubjectum concluſionis reperitur in antecedente, cum medio; ideò hoc antecedens, eſt propoſitio minor; undè deeſt major, quæ cùm

componatur ex majore extremo & ex medio, facile erit eam ſic exprimere... Nullum ens in alio, eſt ſubſtantia; & tunc ſillogiſmus erit integer.

De ſillogiſmorum ſpeciebus.

1°. Si ſillogiſmus ſpectetur, ratione propoſitionum, diſtribui poteſt in ſimplicem, complexum & compoſitum; in abſolutum & modalem.

Simplex, dicitur ille, cujus omnes propoſitiones ſunt ſimplices.

Complexus, cujus aliquæ propoſitiones ſunt complexæ.

Compoſitus, cujus aliquæ propoſitiones ſunt compoſitæ.

Abſolutus, cujus propoſitiones non exprimunt modum, quo prædicata conveniunt, aut non conveniunt ſubjectis.

Modalis denique, cujus aliquæ propoſitiones modum illum exprimunt. De ſimplicibus huc uſque dictum fuit. De cæteris, præſertimque de compoſitis, dicetur poſteà.

2°. Sillogiſmus, ratione qualitatis ſpectatus, diſtribui poteſt in affirmantem & negantem; in verum & falſum. Affirmans, dicitur ille, cujus concluſio affirmat; negans verò, cujus concluſio negat.

Sillogiſmus, dicitur verus, vel ratione materiæ, quando ſcilicet quælibet propoſitio enuntiat de ſubjecto, habitudinem ipſi convenientem; vel ratione formæ, quando propoſitiones & termini ſic diſponuntur, ut concluſio neceſſariò ſequatur ex præmiſſis: ex oppoſito, ſillogiſmus dicitur falſus, vel ratione materiæ, vel ratione formæ.

3°. Sillogiſmus, ratione materiæ ſpectatus, diſtribuitur in demonſtrativum, dialecticum & ſophiſticum.

Sillogiſmus demonſtrativus, dicitur ille, cujus præmiſſæ verſantur circà objecta neceſſaria, ſuntque evidentes, & in legitimâ formâ diſpoſitæ. Triplex autem vulgò diſtinguitur demonſtratio, à priori, quando, inquiunt, probatur effectus per cauſam; à poſteriori, quando probatur cauſa per effectum; & à ſimultaneo, quando probatur aliquod ens, per attributa cognita & conceſſa, quæ ipſi ſoli convenire poſſe probantur.

Sillogiſmus dialecticus, aliter *topicus*, eſt ille, cujus propoſitiones ſunt ſolummodò probabiles.

Sillogiſmus ſophiſticus, *fallaciam* vocant, eſt ille, qui vitioſus eſt, vel ratione materiæ tantùm, vel ratione formæ tantùm, vel ratione utriuſque.

Digitized by Google

Examen opinionis Philoſophorum circà ſillogiſmos.

1°. Quatuor ſunt in rei veritate, ſillogiſmorum figuræ; ſicut probabitur in Concertationibus. Prætereà, juxtà combinationum leges, admittendi ſunt ſexaginta quatuor ſillogiſmorum modi.

2°. Quod attinet ad principia, quibus ſillogiſmorum regulæ dicuntur innixæ. Dico, primum ex illis principiis, falſum eſſe; nam ſi agatur de materiâ neceſſariâ, propoſitio particularis ſemper eſt falſa, adeòque contineri non poteſt in univerſali verâ: imò particulare non includitur in univerſali, quia non eſt ejus inferius. Deinde, ſi agatur de materiâ contingenti, quoniam particularis & univerſalis non poſſunt eſſe ſimul veræ; fieri non poteſt, ut particularis includatur in univerſali.

Dico deinde, ſecundum principium eſſe verum; ſicut conſtat ex dictis de quantitate propoſitionum.

Dico pariter, tertium & quartum principia, eſſe vera; ut probabitur in Concertationibus.

Dico denique, ſillogiſmorum regulas generales, ſupradictis principiis reipsâ non inniti; quia principia illa, nec ſunt

Digitized by Google

regularum motiva, nec regulas implicitè continent.

3°. Sex regulæ generales, cum quinque prioribus corollariis, certiſſimæ ſunt; imò ſunt corollaria noſtræ generalis argumentandi methodi. Quod attinet ad ſextum corollarium, falſitatem ejus oſtendemus in Concertationibus.

4°. Per leges generales & earum corollaria, ritè quidem excluduntur quinquaginta quatuor modi; ſed exindè malè colligitur, decem ſupereſſe modos legitimos: nam ſi agatur de materiâ neceſſariâ, tres tantùm poſſunt eſſe legitimi, nimirùm, *a a a: e a e: a e e:* quia cæteri ſeptem concludunt particulariter quod fieri non poteſt in hâc materiâ. Deinde ſi agatur de materiâ contingenti, omnes illi modi ſunt illegitimi, in quibus reperitur vocalis, E; quia propoſitio univerſalis negans in materiâ neceſſariâ, ſemper eſt falſa.

5°. Quod attinet ad leges ſpeciales, dico 1°. duos tantùm eſſe poſſe modos legitimos in primâ figurâ, ſi agatur de materiâ neceſſariâ; quia alii duo particulariter concludunt: quod ſi ſermo ſit de materiâ contingenti, illi tantùm ſunt legitimi, in quibus non occurit vocalis, E.
Dico 2°. duos tantùm eſſe modos legi-

Digitized by Google

timos in ſecundâ figurâ, ſi agatur de materiâ neceſſariâ; quia alii duo particulariter concludunt: quod ſi agatur de materiâ contingenti, unicus tantùm eſſe poteſt modus legitimus in hâc figurâ: quia in cæteris occurrit vocalis, E.

Dico 3o. nullos eſſe poſſe modos legitimos in tertiâ figurâ, ſi agatur de materiâ neceſſariâ: quia omnes concludunt particulariter. Quod ſi agatur de materiâ contingenti, illi ſoli ſunt legitimi, in quibus non reperitur univerſalis negans.

Dico denique, unicum eſſe modum legitimum in quartâ figurâ; ſi agatur de materiâ neceſſariâ: quia cæteri concludunt particulariter. Quod ſi agatur de materiâ contingenti, duo tantùm eſſe poſſunt legitimi; quia in cæteris occurrit vocalis, E.

6°. Denique probabimus in Concertationibus, nullos eſſe modos indirectos, nulloſque imperfectos; undè reductio oſtenſiva, & reductio ad impoſſibile, evadunt prorsùs inutiles.

Annotationes circà ſillogiſmos compoſitos.

1°. Ut ſillogiſmus copulativus affirmans admittatur ut legitimus, non tantùm re-

quiritur, ut ſit in legitimâ formâ; ſed inſuper, ut ſingulæ propoſitiones ſimplices, in quas reſolvuntur copulativæ, ſint veræ: ſi enim vel unica, ex ejuſmodi propoſitionibus ſimplicibus, deprehendatur falſa, totus ſillogiſmus rejici poterit.

2°. In ſillogiſmis copulativis negantibus, valet quidem conſequentia, ab affirmatione unius membri, ad negationem alterius, ut in ſillogiſmo ſequente.

Nemo poteſt ſervire Deo & mammonæ:
Atqui avarus ſervit mammonæ;
Ergo avarus non ſervit Deo.

Sed non valet conſequentia, à negatione unius membri, ad affirmationem alterius; verbi gratiâ, non valet ſequens ſillogiſmus.

Nemo poteſt ſervire Deo & mammonæ:
Atqui prodigus non ſervit mammonæ;
Ergo prodigus ſervit Deo.

Ratio prioris partis eſt, quia cùm quædam ſit oppoſitio inter membra, poni non poteſt unum, quin removeatur alterum. Ratio poſterioris partis eſt; tùm quia duæ præmiſſæ fierent negantes; tùm quia concluſio non ſequeretur deteriorem præmiſſarum partem.

3°. In ſillogiſmis disjunctivis, valet conſequentia; tùm ab affirmatione unius membri, ad negationem alterius; tùm à

Digitized by Google

negatione unius membri, ad affirmationem alterius, dummodò tamen membra ſint inter ſe ſic oppoſita, ut ſimul convenire non poſſint eidem ſubjecto: hinc ex duobus ſillogiſmis ſequentibus, valet prior; quia inter membra reperitur oppoſitio propriè dicta; non autem poſterior, quia non eſt ejuſmodi oppoſitio.

Homo eſt, vel ſubſtantia, vel modificatio:
Atqui homo non eſt modificatio;
Ergo homo eſt ſubſtantia.

Petrus eſt, vel doctus, vel pius:
Atqui Petrus non eſt doctus;
Ergo Petrus eſt pius.

4°. In ſillogiſmis conditionalibus, valet conſequentia; tùm à poſitione antecedentis, ad poſitionem conſequentis; tùm à remotione conſequentis, ad remotionem antecedentis; ſed non valet conſequentia, tùm à poſitione conſequentis, ad poſitionem antecedentis; tùm à remotione antecedentis, ad remotionem conſequentis: verbi gratiâ, ex ſequentibus ſillogiſmis, valent duo priores; ſed non valent duo poſteriores.

Si juſtitia ſit virtus, eſt amabilis:
Atqui juſtitia eſt virtus;
Ergo juſtitia eſt amabilis.

Digitized by Google

Si lapis ſit ens in alio, eſt modificatio:
Atqui lapis non eſt ens in alio;
Ergo lapis non eſt modificatio.

Si lapis ſit ſpiritus, eſt ſubſtantia:
Atqui lapis eſt ſubſtantia;
Ergo lapis eſt ſpiritus.

Si lapis ſit ſpiritus, eſt ſubſtantia:
Atqui lapis non eſt ſpiritus;
Ergo lapis non eſt ſubſtantia.

Ratio prioris partis eſt, quia quando reperitur connexio, conſequens inter & antecedens, ita ut conſequens affirmetur de antecedente; tunc conſequens ſe habet, velut prædicatum propoſitionis affirmantis. Porrò ſi ponatur antecedens, quod eſt velut totum quoddam, poni debet conſequens, ut potè pars antecedentis. Pariter, dum removetur hoc conſequens, removeri debet antecedens: remotâ namque parte eſſentiali, removeri debet totum, cujus eſt pars.

Ratio poſterioris partis eſt, quia ex eo quòd ponatur conſequens, quod poteſt eſſe univerſalius antecedente; non ideò ponitur antecedens, quod poteſt eſſe inferius, reſpectu conſequentis. Prætereà, quamvis removeatur antecedens, ſeu

unum ex inferioribus, non ideò removetur conſequens, ſeu ſuperius.

5°. In ſillogiſmis cauſalibus, eatenùs valet conſequentia, quatenùs pars in quam cadit particula cauſalis, eſt reipsâ principium alterius.

6°. In omnibus ſillogiſmis, quorum aliqua propoſitio eſt, vel excluſiva, vel exceptiva, ſedulò perpendendum eſt, ex quânam parte deducatur concluſio; hinc reſolvenda erit ejuſmodi propoſitio compoſita, ut faciliùs appareat ex quânam parte concludatur.

Uſu & exercitatione cætera fient manifeſta. Interim, reſolutis propoſitionibus compoſitis, per generalem noſtram diſcurrendi methodum, judicare poteris de connexione concluſionis cum præmiſſis.

De variis errorum fontibus, circà diſcurſum.

Præter varios errores, qui ſerpere poſſunt in ſillogiſmos, ex eo quòd ſecundùm Logicæ regulas, non fuerint confecti, innumeri ſunt alii, qui ſe tenent, vel ex parte materiæ, vel ex parte circumſtantiarum. Non agam hîc de erroribus prioris generis, quia facilè detegi poterunt ab iis, qui norunt principia noſtræ argumen-

tandi methodi. Hîc igitur indicabimus præcipuos errorum fontes, poſterioris generis.

Fons primus, dicitur in ſcholis, *ignorantia elenchi;* id eſt, ignorantia illius, quod eſt in quæſtione poſitum. In hunc errorem ſæpiſſimè labuntur controverſiarum agitatores, dum ſcilicet eas Adverſariis ſuis affingunt opiniones, in quibus non fuerunt verſati.

Remedium erit, ſi vocum ſignificatio ritè perpendatur, juxtà ſcriptoris mentem & ſcopum: deinde, ſi quæſtionis ejuſdem varii ſenſus ſedulò diſtinguantur & ſecernantur; denique, ſi non ex uno, aut ex altero textu ſcriptoris; ſed ex totâ operis œconomiâ, judicaveris de ſcriptoris opinione.

Fons ſecundus, vocatur, *petitio principii.* In hunc errorem incidunt, qui pro medio probationis, aſſumunt aliquid implicitè ſupponens, quod eſt in quæſtione poſitum: ut ſi quis probare vellet, belluis ineſſe ſubſtantias, à materiâ diverſas, ſic ratiocinaretur.

Quod ſentit, habet ſubſtantiam à materiâ diverſam:
Atqui belluæ ſentiunt;
Ergo belluæ habent ſubſtantias, à materiâ diverſas.

Nimirùm quoniam ſenſatio, ſumpta pro impreſſione excitatâ in animâ noſtrâ, occaſione motuum corporeorum, ſupponit exiſtentiam animæ; exinde manifeſtum eſt eos ſupponere, belluis ineſſe ſubſtantias, à materiâ diverſas, qui ſupponunt belluas ſentire; adeòque ſupponunt quod eſt in quæſtione poſitum.

Errorem hunc vitabis, ſi nihil aſſumas, pro medio probationis, niſi quod, vel eſt per ſe evidens, aut certum, vel fuerit anteà ritè probatum.

Fons tertius, dicitur, *non cauſa, pro causâ,* id eſt, quando pro causâ cujuſdam effectûs, aſſignatur aliquid, quod reipsâ non eſt ejus cauſa. Hunc in errorem impingunt, qui ſeditiones, bella, ſterilitates, morbos, &c. vel cometis de novo apparentibus, vel ſpeciali ſtellarum & planetarum diſpoſitioni, tanquàm cauſis tribuunt. In eundem errorem incidunt, qui ſerenitatem, pluviam, incrementum, & decrementum medùllæ in animalium oſſibus, aliaque, id generis, Lunæ tribuunt.

Vitabitur hic error, 1°. ſi conſtet de exiſtentiâ effectûs propoſiti. 2°. Si ritè perpendatur, num effectus ille potuerit oriri à multis cauſis diverſis. 3°. Denique, ſi ex variis circumſtantiis, inter ſe & cum effectu collocatis, judicemus effectum pro-

poſitum, ab hâc, potiùs quàm ab illâ causâ, prodiiſſe.

Fons quartus, dicitur *fallacia accidentis*, id eſt, quando ex aliquo contingenter tantùm verò, deducitur concluſio generalis & abſoluta: ut ſi ex eo quòd vir eloquens, pravos quoſdam effectus produxerit, ſtatim inferas, pravos effectus, ab omnibus viris eloquentibus ſemper produci; vel ſi quis, ex eo quòd quidam homines, ex certâ regione orti, ſuperbi ſint & ignari, ſtatim inferat, omnes ejuſdem regionis homines, eſſe ſuperbos & ignaros.

Hunc errorem vitabis, ſi attributa contingentia ſecernantur ab eſſentialibus; deinde ſi ex attributis contingentibus, dignoſcatur, quænam ſint communia, quænam verò minimè communia.

Fons quintus, dicitur *fallacia compoſitionis*, hoc eſt, quando fit tranſitus à ſenſu diviſo, ad ſenſum compoſitum: ut ſi quis ex eo quòd, ſic legatur in Scripturâ Sacrâ, *Deus juſtificat impios*; inferat impios, in ſtatu impietatis manentes, juſtificari.

Fons ſextus, dicitur *fallacia diviſionis*, quando nimirùm fit tranſitus à ſenſu compoſito, ad ſenſum diviſum: ut ſi quis, ex hoc alio Scripturæ teſtimonio, *Avari non intrabunt in regnum cœlorum*, inferat

Avaros, non ampliùs avaritiæ deditos, ſalvari non poſſe.

Vitabitur uterque poſterior error, ſi notæ fuerint terminorum affectiones, in ſecundâ Logicæ parte traditæ.

Fons ſeptimus eſt, quando motivum judiciorum noſtrorum, eſt amor immoderatus, vel ſui ipſius, vel parentum, vel amicorum, vel patriæ, &c. Hinc 1°. nonnulli diſcurſus admittuntur, ut legitimi, vel ab omnibus alicujus imperii populis, vel à quibuſdam hominum ſocietatibus & ordinibus, vel à quibuſdam familiis; quamvis à cæteris omnibus hominibus agnoſcantur ut falſi. Hinc 2°. nonnulli diſcurſus à nobis rejiciuntur, vel ex eo ſolo, quòd inveteratis noſtris præjudiciis opponantur. Hinc 3°. qui quaſdam opiniones ex hoc pravo motivo propugnant, Adverſarios ſuos, tanquàm pertinaces, malæ fidei, ac etiam ſenſu communi deſtitutos, judicant.

Vitabitur hic error, 1°. ſi judicia & diſcurſus perpendantur, nullâ habitâ ratione perſonarum, locorum & temporum. 2°. Si in diſputationibus omittantur ea, quæ poſſunt ex utrâque parte congeri. 3°. Si nihil pronuntiemus, niſi firmo & laudabili motivo innixi.

Fons octavus eſt, quando diligentiùs

attendimus ad ea momenta, quæ ſententiam aliquam labefactare poſſunt, quàm ad ea, quæ poſſunt eamdem ſtabilire, & confirmare.

Vitabitur hic error, ſi antequàm ſententiam noſtram feramus, conſtanter & maturè conferantur inter ſe varia argumenta, quæ proferuntur ex utrâque parte, ac eorum motiva ſtrictè perpendamus.

Fons nonus eſt, quando non ſtudio veritatis detegendæ, ſed ſolo contradicendi pruritu, movemur ad contradicendum.

Hunc errorem vitabis, ſi attendas hunc unicum eſſe debere diſputationum ſcopum, ut ex ingeniorum, mutuo quaſi conflictu, ſcintillans prodeat veritas.

Fons decimus eſt, quando judicamus de veritate, aut falſitate cujuſdam ratiocinii, vel ex authoritate minimè ſufficienti, vel ex modo, quo proponitur. In hunc errorem incidunt, qui præbent aſſenſum, eo ex ſolo, quòd propoſitiones quædam à viro in ſcientiis celebri, præſertim voce canorâ, verbiſque elegantibus confidenter proferantur; è contrà ſuum denegant aſſenſum, propoſitionibus prolatis ab hominibus obſcuri nominis, timidis, & balbutientibus.

Vitabitur hic error, ſi unamquamque propoſitionem, ſolutam & liberam ab or-

namentis, cæteriſque ipſi extrinſecis, tacitus examini ſubjicias.

CONCERTATIONES circà Diſcurſum.

HOc ordine procedemus in his Concertationibus.

1°. Inquiremus, quid ſit diſcurſus?

2°. An, conceſſis præmiſſis ſillogiſmi legitimè diſpoſiti, neceſſarius ſit concluſioni aſſenſus?

3°. Quotuplex ſit ſillogiſmorum figura?

4°. An principia & regulæ ſillogiſmorum, prout à Philoſophis proponuntur, ſint certiſſima?

5°. An admittendi ſint modi indirecti & imperfecti; & conſequenter, an admittendæ ſint ſillogiſmorum reductiones, de quibus dictum fuit.

6°. Denique, quoniam ſcientia vulgò dicitur, fœtus demonſtrationis; ideò ſpeciatim differemus, de ſcientiâ univerſim.

Quid ſit diſcurſus.

Senſus hujus quæſtionis eſt, utrùm diſ-

curſus ſit quid ſimplex, & an ſit à judicio diverſus?

Dico autem 1°. diſcurſum, objectivè ſumptum, eſſe quid compoſitum; quia repugnat objectum, carens partibus eſſentialibus.

Dico 2°. diſcurſum ſumptum pro ſigno, ſeu pro propoſitionibus, ſpecialem hunc actum ſignificantibus, eſſe quid compoſitum; quia diſcurſus ſic ſumptus, componitur ex propoſitionibus & terminis.

Dico 3°. diſcurſum, formaliter ſumptum, ſeu prout eſt actus, eſſe quid ſimplex in ratione actûs; quia nullus actus componitur ex aliis actibus, ut multoties dictum fuit. Ubi notabis, multos quidem actus ſimul exiſtere poſſe in animâ noſtrâ; ſed nullus eorum eſt pars alterius.

Dico denique diſcurſum, formaliter ſumptum, eſſe actum, à judicio diverſum. Illi namque actus ſunt diverſi, qui diverſimodè definiuntur ab omnibus Philoſophis: atqui diſcurſus & judicium diverſimodè definiuntur ab omnibus Philoſophis; proindèque, &c.

De neceſſitate aſſentiendi.

Ut intelligatur & ſolvatur hæc quæſtio, nota 1°. duplicem diſtingui neceſſitatem, contrarietatis & contradictionis.

Digitized by Google

Neceſſitas contrarietatis, aut, ut aiunt nonnulli, *ſpecificationis*, eſt determinatio potentiæ, ad producendam certam actûs ſpeciem, cum impoſſibilitate producendi actûs ſpeciem oppoſitam, qualis eſſet determinatio ad amorem, cum impoſſibilitate odio habendi, aut vice versâ.

Neceſſitas contradictionis, aut, ut aiunt nonnulli, *exercitii*, eſt determinatio potentiæ ad hunc numero actum, cum impoſſibilitate ipſum non producendi; qualis eſt in beatis, determinatio ad Deum hîc & nunc amandum.

Nota 2°. ſequentes præſupponi conditiones, dum agitur de aſſenſu dando alicui concluſioni.

Prima, ut intellectus noverit regulas, & præcepta, de ſillogiſmis ritè conficiendis.

Secunda, ut intellectus aſſenſum præbuerit præmiſſis, ipſumque non retractaverit.

Tertia, ut ſillogiſmus reipsâ ſit ritè confectus.

Quarta, ut adſit memoria aſſensûs præmiſſis dati.

Quinta denique, ut reipsâ fiat attentio, ad concluſionem propoſitam.

His notatis, ſenſus quæſtionis eſt, utrùm præſuppoſitis his conditionibus, mox enumeratis, intellectus neceſſitetur,

ad aſſentiendum concluſioni, tùm neceſſitate contrarietatis, tùm neceſſitate contradictionis.

Concluſio.

Præſuppoſitis omnibus conditionibus ſuperiùs enumeratis; intellectus, utrâque neceſſitate impellitur, ad aſſentiendum concluſioni.

Primò quidem ad hunc aſſenſum neceſſitatur neceſſitate contrarietatis. Facultas enim, quæ unicam tantùm actûs ſpeciem producere poteſt, neceſſitatur neceſſitate contrarietatis (per definitionem hujus neceſſitatis): atqui, præſuppoſitis ſuprà dictis conditionibus, intellectus noſter unicam tantùm actûs ſpeciem producere poteſt, nimirùm aſſenſum. Intellectus enim diſſentiri non poteſt, vero cognito, ut vero: quia veritas non poteſt eſſe objectum diſſenſûs: at, præſuppoſitis illis conditionibus, concluſio judicatur vera, quandoquidem neceſſariam habet connexionem, cum præmiſſis conceſſis; ergo, &c.

2°. Intellectus ad hunc aſſenſum, neceſſitatur neceſſitate contradictionis. Facultas enim, quæ non eſt libera, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, non poteſt ſeſe abſtinere ab actu ponendo:

atqui intellectus, eſt facultas minimè libera, ut fatentur Philoſophi, & ut conſtabit ex dicendis in Morali; aliundè verò, poſitis conditionibus ſuprà dictis, adſunt omnia prærequiſita, ut intellectus agat; ergo, &c. proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Facultas, quæ difficultatem patitur in aſſentiendo, poteſt non aſſentire: atqui noſter intellectus, etiam præſuppoſitis ſuprà dictis conditionibus, nonnunquam difficultatem patitur, in aſſentiendo concluſioni: ſcilicet, vel quando paucos exercuit actus ſimiles, vel quando anima non vult hunc aſſenſum ponere; ergo, &c.

Nego majorem, & minorem. Majorem quidem; quia licet aliqua facultas difficultatem patiatur, inter agendum; ſi tamen non ſit libera, & adſint omnes conditiones, ad agendum prærequiſitæ, non poteſt ſe abſtinere ab actu, ponendo. Minorem pariter; quia intellectus præſupponitur, habere notitiam regularum omnium ſillogiſticarum; adeòque tunc habet facilitatem aſſentiendi concluſionibus ſillogiſmorum, ritè confectorum, præſertim cùm tunc cognoſcat, concluſionem

implicitè contineri in alterutrâ præmiſſarum jam conceſſarum

Objicies. 2°. Si quæ ratio probaret intellectum noſtrum, poſitis conditionibus ſuprà dictis, neceſſitari ad aſſentiendum concluſioni; maximè quia concluſio neceſſariam habet connexionem, cum præmiſſis: atqui hæc ratio nulla eſt. Quamvis enim voluntas bonum aliquod amet, non ideò neceſſitatur, ad amandum aliud bonum, cum priore neceſſariò connexum; ergo à pari, intellectus non neceſſitatur ad aſſentiendum concluſioni, cum præmiſſis neceſſariò connexæ; ergo, &c.

Nego minorem. Intellectus enim, concedendo præmiſſas, concluſionem implicitè concedit. Ad probationem autem, nego paritatem. Diſparitas eſt, tùm quia voluntas eſt faculas libera, non item intellectûs: tùm quia bona neceſſariò connexa cum bono amato, non ſemper ſunt ejus partes: at concluſio, pars eſt illius præmiſſæ, in quâ implicitè continetur; ergo, &c.

Dices iterùm. Nonnulli concedunt præmiſſas ſillogiſmorum, tùm ratione formæ, tùm ratione materiæ legitimorum; & tamen, experientiâ teſte, negant concluſionem; ergo, &c.

Reſpondeo homines illos, aut ignorare

regulas ſillogiſmorum, aut non recordari aſſenſûs præmiſſis dati; aut aſſenſum hunc retractaſſe; aut tandem, ipſos mentiri.

Quotuplex ſit ſillogiſmorum figura.

Peripatetici, ut dictum fuit, tres tantùm figuras ſillogiſmorum admittunt; contenduntque, quartam reipsâ non differre à primâ. Contrà eos ſit,

Concluſio.

Quatuor admittendæ ſunt diverſæ ſillogiſmorum figuræ. Totuplex enim admittenda eſt diverſa ſillogiſmorum figura; quotuplex eſt diverſa terminorum diſpoſitio, apta ad ritè concludendum: atqui quadruplex eſt terminorum diverſa diſpoſitio, apta ad ritè concludendum. *Tàm* enim terminus medius prædicari poteſt in majore & ſubjici in minore, ut fert quarta figura; quàm prædicatur in majore, in ſecundâ figurâ; & ſubjicitur in minore, in tertiâ figurâ; proindèque nihil impedit, quominùs admittatur quarta figura.

Objectiones.

Objicies. 1°. Si quæ figura poſſet admitti, ut quarta; ea certè, quam *Galenicam* vocant: atqui figura *Galenica* diverſa non eſt à primâ, ut potè ſolâ præmiſſorum tranſpoſitione,

poſitione, ab ipsâ diſcrepans; ergo, &c.

Nego majorem. Nam figura *Galenica*, ſeu à Galeno Medico uſurpatâ, reipsâ ſolâ præmiſſarum tranſpoſitione, differt à primâ Peripateticorum; adeòque cùm præmiſſarum tranſpoſitio non ſufficiat ad figurarum diverſitatem, immeritò diceretur quarta figuræ ſpecies: at figura, quam admittimus ut quartam, longè diverſa eſt tùm à Galenicâ, tùm à primâ Peripateticorum; in quantùm terminus medius prædicatur in eâ propoſitione, quæ reipsâ major eſt, & ſubjicitur in eâ, quæ reipsâ minor eſt.

Inſtabis. 1°. Hic ſillogiſmus eſt in quartâ figurâ, quam admittimus.

Omnis homo, eſt ſubſtantia:
Atqui ſubſtantia, eſt ens;
Ergo aliquod ens, eſt homo.

Atqui hæc figura, ſicut & Galenica, non differt à primâ. Si enim ſecunda propoſitio reipsâ ſit major, hæc figura non differt à primâ: atqui res ſic ſe habet. Illa namque propoſitio dici debet major, quæ continet majus extremum, cum medio: atqui hæc propoſitio continet, &c. Nam majus extremum eſt terminus magis univerſalis: atqui ſecunda propoſitio continet terminum magis univerſalem, nimirùm *ens*; ergo, &c.

1°. Non admitto ſillogiſmum mox propoſitum, quia ſubjectum concluſionis eſt aliquod ſuperius, & prædicatum unum eſt ex ejus inferioribus: porrò ſuperius, ut potè pars inferioris, ſubjacere non poteſt inferiori, ut multoties monuimus.

2°. Negatis minoribus trium priorum ſillogiſmorum, nego majorem *poſtremi.* Majus enim extremum in ſillogiſmo, non dignoſcitur, ex eo quòd magis pateat; alioqui, quando tres termini forent æquè patentes, majus extremum non poſſet ampliùs dignoſci; ſed ex eo conſtanter dignoſcitur, quòd ſit prædicatum concluſionis.

Inſtabis. 2°. Deberet afferri ratio, cur prædicatum concluſionis, ſemper ſit majus extremum: at nulla poteſt ejuſmodi legitima ratio proferri; ergo, &c.

Nego minorem. Ideò namque prædicatum concluſionis, dictum fuit majus extremum, quia poteſt magis patere, quàm ſubjectum, & nunquam minùs; ſicut manifeſtum fiet, ſi attendas ad quinque univerſalia, in prædicando.

Objicies. 2°. Concluſio ſillogiſmi in eâ figurâ, quam vocamus quartam, *indirecta* eſt; ergo talis figura non differt in rei veritate, à primâ.

Nego antecedens. Cùm enim quælibet

Digitized by Google

concluſio præſupponatur exiſtens in mente, antequàm aſſumantur præmiſſæ; nulla concluſio dici poteſt indirecta; ſed de his poſteà.

De veritate principiorum & regularum.

Quatuor retulimus principia, quibus tanquàm fundamentis, niti dicuntur ſillogiſmorum regulæ, tùm generales, tùm ſpeciales.

Omnes Philoſophi quatuor illa admittunt principia, tanquàm vera, exceptis nonnullis recentioribus, qui duo poſtrema multis in caſibus, eſſe falſa contendunt; unde docent, quæcumque dicta fuerunt circà ſillogiſmorum regulas, eſſe partim incerta, & partim falſa, ſi, inquiunt, juxtà dialecticæ ſubtilis leges, expendantur.

Quatuor hîc præſtabimus. 1°. Probabimus primum principium eſſe falſum. 2°. Veritatem duorum poſtremorum aſtruemus. 3°. Regulas omnes, tùm generales, tùm ſpeciales, à Philoſophis traditas, circà ſillogiſmos ſimplices, cum quinque prioribus corollariis, certiſſimas eſſe propugnabimus. 4°. Sextum corollarium, ut falſum, rejiciemus.

Digitized by Google

Concluſio prima.

Propoſitio particularis non includitur in univerſali ejuſdem qualitatis. Nam propoſitio falſa non includitur in propoſitione verâ, nec vera includitur in falsâ: atqui propoſitio particularis eſt falſa, quando univerſalis eſt vera, aut vice versâ: vel enim agitur de materiâ neceſſariâ, vel de materiâ contingenti: atqui propoſitio particularis falſa eſt in utrâque hâc materiâ, quando vera eſt univerſalis ejuſdem qualitatis. Hoc quidem evidens eſt, dum agitur de materiâ neceſſariâ; quia in hâc materiâ, ſubjectum nunquam poteſt ſumi pro aliquibus tantùm ſuis inferioribus; quandoquidem nulla eſt exceptio in hâc materiâ. Id etiam certum eſſe debet *in* materiâ contingenti. Tunc enim prædicatum, vel convenit ut plurimùm ſub*jecto*, vel ut plurimùm removetur à ſubjecto: atqui hoc in caſu, falſum eſt, ſubjectum illud ſumi poſſe particulariter: aliundè verò, ſi propoſitio particularis vera ſit, in materiâ contingenti, non poteſt includi in generali ejuſdem qualitatis, quia tunc generalis ſemper eſt falſa; proindèque, &c.

Dices. Propoſitiones univerſales continent implicitè propoſitiones particulares;

Digitized by Google

ergo particulares includuntur in univerſalibus, ejuſdem qualitatis.

Nego antecedens. Nam propoſitiones univerſales continent quidem implicitè, propoſitiones omnes, quarum ſubjecta ſunt inferiora ſubjecti propoſitionis generalis; ſed non continent implicitè propoſitiones, quarum ſubjecta, non ſunt inferiora ſubjectorum propoſitionum univerſalium. Porrò, ſubjecta propoſitionum particularium, non ſunt inferiora ſubjectorum univerſalium, quandoquidem ſunt eadem ſubjecta, particulariter ſumpta.

Concluſio ſecunda.

Prædicatum propoſitionis affirmantis ſemper ſumitur particulariter. Quoties enim propoſitio eſt affirmans, toties ipſius ſubjectum ſumitur, aut univerſaliter, aut particulariter, aut eſt individuum quoddam determinatum: atqui in his omnibus caſibus, prædicatum ſumitur particulariter.

Primò quidem, ſi ſubjectum ſumitur univerſaliter, prædicatum ſumi debet particulariter. Ubi namque ſubjectum ſumitur univerſaliter, accipitur pro omnibus ſuis inferioribus; ita ut quod enunciatur de illo ſubjecto, enunciari poſſit de unoquoque ejus inferiore: at tunc attributum

ſumi debet particulariter ; alioqui tota prædicati extenſio , ſingulis ſubjecti inferioribus conveniret ; quod eſt abſurdum ; ergo , &c.

2°. Si ſubjectum ſumatur particulariter, (quod accidere tantùm poteſt in materiâ contingenti) , prædicatum ſumi debet particulariter ; quia accidens nullum convenire poteſt , ſecundùm ſuam totam extenſionem , quibuſdam tantùm his ſubjectis ; ergo , &c.

3°. Denique , ſi ſubjectum ſit aliquod individuum determinatum , evidens eſt , totam prædicati generalitatem , ipſi non poſſe tribui ; ergo , &c. proindèque , &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Hæc propoſitio eſt univerſalis affirmans... Omnis homo , eſt *omne* rationale : atqui prædicatum ejus ſumitur univerſaliter , ut patet , ex eo quòd ipſi præfixum ſit univerſalitatis ſignum ; ergo , &c.

1°. Nego majorem. Quoties enim vox *omnis,* præfixa eſt prædicato , ſemper ſignificat aliquid ſingulare ; undè ſenſus eſt propoſitionis allatæ... Collectio hominum , eſt collectio rationalium ; & tunc ſingularis eſt.

2°. Falſum eſt collectionem hominum,

eſſe collectionem rationalium; quia Angeli poſſunt ratiocinari.

Objicies. 2°. Hæc propoſitio... Soli homines ſunt omnes Medici, eſt affirmans: atqui hujus propoſitionis attributum ſumitur univerſaliter; ergo, &c.

Tranſeat major, nego minorem. Vox enim, *omnes*, præfixa prædicato, non eſt ſignum diſtributionis; alioqui ſenſus eſſet, verbi gratiâ... Petrus eſt, omnes Medici... Paulus eſt, omnes Medici, &c. quod eſt abſurdum. Dixi autem ad majorem, *tranſeat*; quia propoſitio mox allata, excluſiva eſt affirmans; adeòque reſolubilis eſt in duas propoſitiones, quarum una quidem affirmat, ſed altera negat.

Objicies denique. Hæc propoſitio eſt affirmans.... Animal ut ſic, eſt ſenſitivum ut ſic: atqui prædicatum hujus propoſitionis non ſumitur particulariter; alioqui ſenſus eſſet, animal ut ſic, eſt aliquod ſenſitivum ut ſic; ergo, &c.

1°. Nego majorem, quia eſt de falſo ſupponente. Supponit enim has voces, *animal ut ſic*, *ſenſitivum ut ſic*, propoſitionem aliquam efficere poſſe: at hoc falſum eſt; ſunt enim ſinonimæ voces; ſcilicet, *animal*, ut aiunt, ſignificat id quod habet principium ſentiendi; & *ſenſitivum*, non poteſt aliud ſignificare.

2°. Nego minorem. Dato namque quòd, voces allatæ diverſa ſignificarent, ſubjectum & prædicatum reſtringerentur: quælibet enim reduplicatio, eſt ſignum reſtrictionis, ut alibi fuit annotatum; hinc ſenſus eſſet... Animal, ſecundùm ſuam eſſentiam ſpectatum, eſt ſenſitivum, ſecundùm eſſentiam ſuam ſpectatum; quo in caſu, prædicatum non ſumeretur univerſaliter.

Concluſio tertia.

Attributum propoſitionis negantis ſemper ſumitur univerſaliter. In propoſitione namque negante, vel enuntiatur incompatibilitas attributi cum ſubjecto, vel ejuſdem à ſubjecto ſeparatio: atqui in utroque caſu, prædicatum propoſitionis, ſumitur univerſaliter. Quod enim removetur à ſubjecto, ſecundùm totam ſuam eſſentiam, ab ipſo removetur, ſecundùm totam ſuam univerſalitatem: atqui in propoſitionibus, vel incompatibilitatem, vel ſeparationem enuntiantibus, prædicatum removetur à ſubjecto, ſecundùm totam ſuam eſſentiam, cùm eſſentia ſit indiviſibilis; ergo removetur etiam ſecundùm totam ſuam univerſalitatem; ergo, &c.

Dicès. Hæc propoſitio eſt negans... Lac non eſt aliquod album: atqui prædicatum ſumitur particulariter, quandoquidem

præfixum habet particularitatis ſignum; ergo; &c.

1°. Propoſitio mox allata, falſa eſt: enuntiat enim de lacte, quod non ſit quoddam album; & tamen eſt quoddam album.

2°. Nego minorem. Si enim ſub aliquo ſenſu, vera ſit allata propoſitio, hic unicus eſſe poteſt ſenſus... Lac nullum eſt quorumdam alborum, eorum ſcilicet, quæ tribuuntur nivi, ſaccaro, parieti, &c. quo in caſu, prædicatum ſumitur univerſaliter.

At, inquies, *aliquod album*, eſt prædicatum allatæ propoſitionis; ergo prædicatum illud ſumitur particulariter.

Nego antecedens. Si enim allata propoſitio ſumatur in ſenſu vero, prædicatum debet eſſe, *nullum quorumdam alborum*.

Concluſio quarta.

Omnes regulæ, tùm generales, tùm ſpeciales ſillogiſmorum, cum quinque prioribus corollariis, certiſſimæ ſunt. Ea namque ſunt certiſſima, quæ per legitimas demonſtrationes innoteſcunt vera: atqui omnes regulæ, tùm generales, tùm ſpeciales, &c, ſic ſe habent; ſicut conſtat ex probationibus, quarum ope, veritatem

Digitized by Google

legum illarum, & illorum corollariorum demonſtravimus; proindèque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Hic ſillogiſmus eſt legitimus; licet major propoſitio ſit particularis affirmans, & concluſio negans.

Soli aliqui homines, ſunt omnes Medici:
Atqui nullus equus, eſt homo;
Ergo nullus equus, eſt Medicus.

ergo falſum eſt, ſecundùm corollarium.

1°. Nego antecedens. Tunc enim ſillogiſmus non eſt legitimus, quando ipſius termini, diverſo planè ſenſu accipiuntur: atqui in allato ſillogiſmo, termini ſumuntur, &c. ſcilicet terminus, *homo* collectivè ſumitur in majore, & diſtributivè in minore: deindè majus extremum *collec*tivè ſumitur in majore, & diſtributivè in concluſione; ergo, &c.

2°. Propoſitio major allati ſillogiſmi, non eſt particularis, ſed ſingularis; ſenſus enim eſt... Collectio quorumdam hominum, eſt collectio omnium Medicorum.

Objicies 2°. contrà quartum corollarium. Sequentes ſillogiſmi ritè concludunt, licet minus extremum ſumatur particulariter in utrâque minore, & generaliter in utrâque concluſione.

Digitized by Google

Omnia animalia, ſunt ſenſitiva:
Atqui omnia animalia, ſunt homo & brutum;
Ergo homo & brutum, ſunt ſenſitiva.

Animal, non eſt rationale;
Animal ut ſic, eſt ſenſitivum ut ſic;
Ergo ſenſitivum ut ſic, non eſt rationale.

Admiſſo quòd *animal* & *ſenſitivum*, diverſa ſignificent, & admiſſo quòd ſint genera, reſpectu hominis, (quæ tamen falsò ſupponuntur.)

1°. Nego ſillogiſmum utrumque ritè concludere. In priore namque medium, *omnia animalia*, ſumitur diſtributivè in majore, & collectivè in minore; in poſteriore verò hæ voces, *ſenſitivum ut ſic*, non deſignant concluſionem eſſe generalem, quia ſubjectum non ſumitur pro ſuis omnibus inferioribus.

2°. In priore ſillogiſmo, *homo* & *brutum*, ſumuntur collectivè in minore, & diſtributivè in concluſione.

3°. In poſteriore ſillogiſmo, major & concluſio, ſunt falſæ, ſi in his particula, *non*, ſit ſignum præciſionis: falſum enim eſt, animal ut genus, abſtrahere à rationalitate.

4°. Denique, in utroque ſillogiſmo,

Digitized by Google

ſuperiora ſubjiciuntur inferioribus : quod eſt impoſſibile.

Objicies 3°. contrà quartam regulam generalem. Sequens ſillogiſmus legitimus eſt, licet ambæ præmiſſæ ſint affirmantes, & concluſio ſit negans.

Omnes amici Dei, ſunt Sancti:
Atqui omnes Sancti, ſunt felices;
Ergo qui non ſunt felices, non ſunt amici Dei.

ergo falſa eſt quarta regula generalis.

Nego antecedens. Ille namque ſillogiſmus non eſt legitimus, in quo terminus concluſionis, non fuit cum medio comparatus : atqui terminus allatæ concluſionis, nempè minus extremum non fuit, &c. Nam minus extremum, eſt hic terminus complexus, *qui non ſunt felices*; evidens autem eſt, terminum hunc complexum, nullatenùs reperiri in minore; proindèque, &c.

At, inquies, hæc propoſitio... Omnes qui non ſunt felices, non ſunt amici Dei, eadem eſt, ac iſta... Felices ſunt amici Dei; ergo indifferens eſt, concluſionem hoc, vel illo modo exprimere.

Nego antecedens. Nam propoſitio complexa & negans, non eadem eſt ac propoſitio ſimplex & affirmans : at propoſitio prior, complexa eſt & negans; poſterior

autem, ſimplex eſt & affirmans; proindèque non idem eſt utriuſque ſubjectum; nec enim, qui non ſunt felices, ſunt iidem, ac felices.

Objicies 4°. contrà primam partem legis quintæ generalis. Sequens ſillogiſmus eſt legitimus, quamvis una præmiſſa neget, & concluſio ſit affirmans.

Qui non ſunt amici Dei, non ſunt felices;
Atqui Sancti ſunt felices;
Ergo Sancti, ſunt amici Dei.

Nego propoſitionem. Hæ namque voces, *amici Dei*, tenent locum majoris extremi in concluſione: at aliæ voces, loco majoris extremi, ponuntur in majori propoſitione; hæc ſcilicet, *qui non ſunt amici Dei:* porrò nemo non videt, amicos Dei, & eos, qui non ſunt amici Dei, non eoſdem eſſe; proindèque, &c.

Objicies 5°. contrà poſteriorem partem ejuſdem legis quintæ. Valet ſequens ſillogiſmus, cujus concluſio eſt univerſalis, licet una præmiſſa ſit particularis.

Aliquod alatum, eſt muſca:
Atqui nulla muſca, eſt avis;
Ergo nulla avis, eſt aliquod alatum.

Nego propoſitionem. Tùm quia nullum ſuperiùs poteſt eſſe ſubjectum, reſpectu minùs univerſalis, ſicut accidit in primâ propoſitione hujus ſillogiſmi. Tùm quia

falſum eſt, nullam avem eſſe aliquod alatum, quandoquidem quælibet avis, eſt aliquod alatum; tùm quia hæ voces, *nullum quorumdam alatorum*, tenent locum majoris extremi in concluſione; in majori autem propoſitione, hæ voces, *aliquod alatum*, tenent locum majoris extremi in majori propoſitione; proindèque non idem eſt majus extremum in concluſione & in majore.

Objicies denique, contrà ſextam regulam generalem. Duo ſequentes ſillogiſmi ſunt legitimi, licet eorum præmiſſæ ſint particulares.

Aliqui homines, ſunt omnes Medici:
Atqui aliquis Phyſicus, eſt Medicus;
Ergo aliquis Phyſicus, eſt homo.

Aliquod lac, eſt dulce;
Aliquod album, eſt omne lac;
Ergo aliquod album, eſt dulce.

Nego propoſitionem. Nam quod attinet ad primum ſillogiſmum, dico ipſum multiplici vitio laborare. 1°. Quia terminus, *Medici*, qui tenet locum medii, nec in majore, nec in minore diſtribuitur: non in majore, ſi quidem in ipsâ ſumitur collectivè; non etiam in minore, quia eſt prædicatum affirmantis. 2°. Quia non idem eſt medium in majore & in minore,

ut conſtat ex modò dictis. 3°. Quia mjaus extremum, *homo*, ſumitur particulariter in concluſione, & collectivè in majore. 4°. Denique, quia dici quidem poteſt... Aliquis homo, eſt Phyſicus; ſed dici non poteſt... Aliquis Phyſicus, eſt homo; nec enim totum prædicari poteſt, de ſuâ parte contingenti.

Quod attinet ad alterum ſillogiſmum, multiplici quoque vitio laborat. 1°. Quia medium ſumitur particulariter in majore, & collectivè in minore, nec proindè diſtribuitur; imò non eſt idem terminus. 2°. Quia hic terminus, *aliquod album*, ſumitur collectivè in minore; & particulariter in concluſione. 3°. Quia propoſitio major & concluſio ſunt falſæ.

Multi alii ſimiles ſillogiſmi proponi poſſunt, contrà regulas ſpeciales ſillogiſmorum; ſicut legere poteris in opere inſcripto, *Philoſophia ad uſum ſcholæ accommodata.*

Ut autem eos facilè ſolvas, diligenter attendendum eſt, tùm ad reſponſiones mox datas, tùm ad tres regulas ſequentes.

Prima. Quoties aliquod univerſale ſubjicitur in propoſitione, & unum ex ejus inferioribus de ipſo prædicatur; toties illa propoſitio rejicienda eſt, ut falſa; quia

nullum ſuperius ſubjici poteſt ſuis infe-rioribus, cùm ſit eorum pars.

Secunda. Quoties aliquis terminus collectivè ſumitur, in unâ propoſitione ſillogiſmi, & vel generaliter, vel particulariter ſumitur in alterâ; toties haberi debet tanquàm duplex terminus: quia quando ſumitur collectivè, ipſa collectio eſt terminus.

Tertia. Quoties ſillogiſmus eſt compoſitus, & in ſillogiſmos ſimplices reſolutus, peccat ex aliquâ parte; toties ejuſmodi ſillogiſmus haberi debet, ut vitioſus: veritas enim totalis, pendet à veritatibus ſingularibus.

Quæres autem 1°. an ſextum corollarium ſit verum?

Reſpondeo 1°. priorem hujus corollarii partem eſſe falſam, tùm in materiâ neceſſariâ, tùm in materiâ contingenti. In materiâ quidem neceſſariâ, quia nulla propoſitio particularis poteſt eſſe vera in hâc materiâ. In materiâ pariter contingenti, quia propoſitio particularis falſa eſt, quando generalis eſt vera; & vice verſâ.

Reſpondeo 2°. poſteriorem ejuſdem corollarii partem eſſe veram, ſi concluſio verſetur in materiâ contingenti: quia, ex eo quòd prædicatum contingens conve-

niat, aut non conveniat ſubjecto, particulariter ſumpto; nullatenùs ſequitur ipſum convenire, aut non convenire ſubjecto, univerſaliter ſumpto; eandem autem poſteriorem corollarii partem falſam eſſe in materiâ neceſſariâ, quia in hâc materiâ nulla propoſitio particularis poteſt eſſe vera.

Quæres 2°. utrùm modi à nobis rejecti in materiâ contingenti, ex eo quòd contineant vocalem, E, poſſint admitti, ſi propoſitiones non generaliter, ſed indefinitè tantùm exprimantur?

Reſpondeo, modos illos admitti poſſe, ſi propoſitiones exprimantur indefinitè; quia ſic expreſſæ, poſſunt eſſe veræ.

De ſillogiſmorum reductionibus.

Circà ſillogiſmorum reductiones, hîc inquiri poteſt, utrùm ſint legitimæ? Ut hoc dubium ſolvatur, notandum eſt ejuſmodi reductiones, idcircò potiſſimùm fuiſſe excogitatas; quia Peripatetici judicarunt, quoſdam eſſe ſillogiſmos indirectos & imperfectos; undè ſi hoc falſum ſit, reductiones erunt prorsùs inutiles. Sit igitur,

Concluſio.

Nulli ſunt ſillogiſmorum modi indi-

recti, nullique imperfecti. Modos enim indirectos vocant eos, in quibus concluſio deducitur ex præmiſſis, præter Audientium expectationem; modos autem imperfectos dicunt eos, in quibus termini aliter diſponuntur in præmiſſis, quàm in concluſione: atqui nulla concluſio deducitur ex præmiſſis, præter Audientium expectationem: & licet termini aliter diſponantur in præmiſſis ac in concluſione, non idcircò ſillogiſmi vocari debent imperfecti. Primò quidem, nulla concluſio deducitur ex præmiſſis, præter Audientium expectationem. Quoties enim concluſio præſupponitur exiſtens, tùm in Auditorum mente, tùm in mente loquentis, priuſquàm aſſumantur præmiſſæ; toties concluſio dici non debet ex præmiſſis deducta, præter Auditorum expectationem: atqui res ſic ſe habet, ut conſtat ex naturâ ſillogiſmi; ergo, &c. Hinc præmiſſæ forſan indirectè probant concluſionem; ſed non idcircò concluſio vocari debet indirecta. 2°. Quando termini non diſponuntur in præmiſſis, ſicut diſponuntur in concluſione; non idcircò ſillogiſmus dici debet imperfectus. Vel enim præmiſſæ concluſionem ritè probant, vel non. Si eam ritè probent, ſillogiſmus dici non debet imperfectus; ſi autem eam

non ritè probent, aliæ ſunt aſſumendæ, & tunc non opus eſt reductione; ergo, &c. proindèque, &c.

De ſcientia.

Circà ſcientiam diſcurſivam, ſequentia potiſſimùm inquirûntur.

1°. Quomodo comparetur?

2°. An ſit compatibilis cum errore?

3°. An ſit ſociabilis cum opinione?

4°. An ſtare poſſit cum fide divinâ?

5°. Denique, quænam ſint ejus proprietates?

Quomodo comparetur ſcientia.

Docuit Plato, ſcientiam de novo non comparari in hâc vitâ; ſed ipſam, nihil aliud eſſe, præter reminiſcentiam eorum, quæ noverat anima, priuſquàm uniretur corpori. Nimirùm credidit Plato, omnes animas rationales, in primâ Geneſi, fuiſſe à Deo productas, diſciplinâ quâvis inſtructas: quoniam verò, inquiebat, quædam ex illis peccaverunt; idcircò, in pœnam peccati, detruſæ fuerunt in corpora, tanquàm in carceres; ſed ad tempus tantùm, modò longius, modò brevius, pro qualitate delicti: hoc autem in ſtatu, cognitionum ſuarum fiunt immemores; la-

bore tamen & exercitio paulatim earumdem recordantur.

Pythagoras voluit pariter, ſcientiam nihil aliud eſſe, præter reminiſcentiam; ſed aliud excogitavit ſiſtema, à Platonico diverſum. Docuit ſcilicet, animas rationales, in primâ rerum Geneſi productas, & diſciplinâ quâvis inſtructas, corporibus ſtatim fuiſſe unitas; ita ut his corporibus deſtructis, migrarent in alia (migrationem hanc metempſicoſim vocat): ſic autem migrando, omnium fiunt immemores; ſed paulatim revocant in memoriam, vel quæ primùm noverunt, vel quæ ſibi fuerunt nota, dum informabant alia corpora: hoc ſiſtema confirmabat Pythagoras, aſſerendo ſe planè recordari, quòd olim fuiſſet Euphorbus.

Concluſio prima.

Scientia, non eſt reminiſcentia, ad ſenſum Platonis. Ut enim ſcientia foret ejuſmodi reminiſcentia, duo requirerentur; & ut anima extitiſſet in alio ſtatu, in quo cognoviſſet quæcumque nunc cognoſcit; & deberet eſſe conſcia, eadem olim *ſibi* fuiſſe nota; in utrâque enim hâc conditione, conſiſtit reminiſcentia: atqui deeſt utraque. Primò quidem, anima non exiſtit in alio ſtatu; definitum enim fuit ab

Eccleſiâ, animas noſtras *creari infundendo*, & *infundi creando*. Deinde anima noſtra non eſt conſcia, ea, quæ in hâc vitâ primùm cognoſcit, ſibi fuiſſe quondam nota: verbi gratiâ; quando unuſquiſque noſtrûm primùm novit ſillogiſmorum regulas, conſcius non fuit, ipſas olim ſibi fuiſſe notas; ut conſtat per intimum ſenſum; proindèque, &c.

Dices 1°. Ridendus eſſet, qui quæreret hominem, anteà ſibi penitùs ignotum; ergo à pari ridendus eſſet, qui veritatem anteà ſibi penitùs ignotam, quæreret.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt; quia nihil eſt in nobis, per quod dignoſcere poſſimus hominem, anteà nullatenùs viſum: at dantur in nobis idææ objectorum extrà nos, vel exiſtentium, vel poſſibilium, ad quas, ſi datâ causâ occaſionali, convertamur, detegere poſſumus veritates anteà penitùs ignotas.

Dices 2°. Teſtatur Plato, adoleſcentem interrogatum de Geometriâ, cui nunquam dederat operam, variis quæſtionibus appoſitè reſpondiſſe; ergo ſignum eſt, adoleſcentem illum fuiſſe recordatum eorum, quæ noverat in alio ſtatu.

Nego conſequentiam. Exindè namque ſequitur tantùm, in illo juvene variarum figurarum extitiſſe idæas, adfuiſſe cauſas

occaſionales, ad has potiùs quàm ad illas attendendi, eumque, à quo interrogabatur, proceſſiſſe à facilioribus, ad paulò difficiliora.

Concluſio ſecunda.

Scientia non eſt reminiſcentia, ad ſenſum Pythagoræ; tùm quia quiſque conſcius eſſe deberet, ſe olim cognoviſſe quæcumque nunc primùm cognoſcit; tùm quia hæc opinio nullo nititur motivo probabili; tùm denique quia hæc opinio Conciliorum definitionibus adverſatur.

Dices. Pythagoras bonâ fide teſtatur, ſe ritè recordari, quòd olim fuiſſet Euphorbus; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens: quia inter dormiendum ſomniaverat, ſe fuiſſe Euphorbum, concedo. Se reipsâ perſonam illam ſuſtinuiſſe, nego. Quemadmodùm *igitur* nonnulli intrà dormiendum, putant ſe videre mortuos, Dæmones, ſe per aera volitare, ſe Magorum & Sagorum choreis interfuiſſe; ita ut, vel expergefacti credant hæc omnia eſſe vera: ſic Pythagoras aliquando ſomniaverat, ſe perſonam Euphorbi ſuſtinuiſſe, adeòque bonâ fide teſtabatur, ſe hujus recordari.

Quæres igitur, quomodo ſcientia comparetur?

Reſpondeo, ſcientias hoc modo comparari. Animæ noſtræ, vel à primo creationis ſuæ inſtanti, repræſentationibus objectorum fuerunt inſtructæ: deindè, rerum ſenſilium occaſione, determinantur, ut attendant ad quaſdam ex illis repræſentationibus: tùm ex ſedulâ hâc attentione, naſcuntur judicia & diſcurſus, quæ, ſi nihil aliud enuntient, quàm quod deprehenſum fuit in repræſentationibus, ſeu idæis, vocantur cognitiones evidentes, & conſequenter ſcientificæ.

De ſcientia relativè ad errorem.

Quæritur hîc, an habitus & actus ſcientiæ, ſtare poſſint in intellectu humano, ſimul cum errore, tùm habituali, tùm actuali?

Certum autem eſt, 1°. in eodem intellectu humano, reperiri poſſe ſcientiam ſimul & errorem, circà objecta diverſa; nam, verbi gratiâ, poteſt quis circuli naturam ſcientificè cognoſcere, & errare circà naturam motûs.

Certum eſt 2°. ſcientiam & errorem, ſtare ſimul poſſe, circà idem objectum, ſub diverſo reſpectu conſideratum: verbi gratiâ, poteſt quis omnipotentiam Dei ſcientificè cognoſcere, & errare circà ipſius immenſitatem.

Digitized by Google

Certum eſt 3°. habitum ſcientiæ, & habitum erroris, ſtare ſimul poſſe circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum, ſaltem per aliquod tempus: nam ubi quis intenſum comparavit erroris habitum, & veritatem poſteà detegit; tunc paulatim acquirit habitum ſcientiæ, dum paulatim deletur habitus erroris: ſicut enim habitus, juxtà leges naturales, non comparantur in inſtanti, præſertim in gradu notabiliter intenſo; ſic in inſtanti non delentur; & conſequenter habitus erroris, per aliquod tempus, permanere poteſt cum habitu ſcientiæ, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum.

Quæſtio igitur ſupereſt, utrùm actus ſcientiæ, & actus erroris, ſimul ſtare *poſ*ſint in eodem intellectu, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum.

Concluſio.

Actus ſcientiæ, & actus erroris, ſtare ſimul non poſſunt in eodem intellectu, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum. Nam ad hoc ſufficit, quòd nemo poſſit ſimul ferre judicium affirmans & judicium negans, de eodem ſubjecto, per ordinem ad idem numero prædicatum:

Digitized by Google

dicatum : atqui nemo poteſt illa duo judicia ſimul ferre. Nemo quippè deprehendere poteſt, idem numero prædicatum convenire ſimul, & non convenire eidem ſubjecto : quod tamen eveniret, ſi actus ſcientiæ & actus erroris, eſſent ſimul ; ergo, &c.

De ſcientia relativè ad opinionem.

Quæritur hîc, an ſcientia & opinio ſtare ſimul poſſint, in eodem intellectu humano, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum ?

Certum autem eſt, habitum ſcientiæ & habitum opinionis, ſtare ſimul poſſe circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum ; ut conſtat ex ſuprà dictis, de habitibus ſcientiæ & erroris ; undè ſupereſt difficultas, circà actus ſcientiæ & actus opinionis. Ut ſolvatur hæc quæſtio,

Notandum 1°. actum ſcientiæ & actum opinionis, poſſe conſiderari, vel habitâ ratione objecti, vel habitâ ratione motivorum. Evidens autem eſt, idem motivum eſſe non poſſe evidens ſimul, & merè probabile ; undè quæſtio ſupereſt, utrùm quis ferre poſſit duo judicia, de eodem & ſub eodem reſpectu, quorum unum nitatur

Digitized by Google

motivo evidenti, & alterum, motivo ſolummodò probabili.

Notandum 2°. hîc agi de duobus judiciis, vel idem affirmantibus, vel idem negantibus; undè hæc duo judicia in eo ſolo diſcrepant à ſe invicem, quòd diverſis nitantur motivis. His notatis, ſit,

Concluſio.

Actus ſcientiæ & actus opinionis, ſtare ſimul poſſunt, in eodem intellectu, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum. Ut enim actus illi ſimul ſtare poſſint, ſufficit, ſi quis ferre poſſit duo judicia de eodem ſubjecto, ſub eodem reſpectu conſiderato, quorum unum nitatur motivo evidenti, & alterum motivo ſolummodò probabili: atqui poteſt *quis* illa duo ferre judicia: nam, verbi gratiâ, poteſt quis judicare, Deum exiſtere, & quia deprehendit exiſtentiam incluſam in idæâ Dei, en motivum evidens; & quia id aſſerunt omnes viri probi, en motivum probabile; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Actus certus, & *actus incertus*, ſociari non poſſunt in eodem intellectu, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum: atqui actus ſcien-

Digitized by Google

tiæ certus eſt, & actus opinionis eſt incertus; ergo, &c.

1°. Cum quibuſdam Philoſophis diſtinguo majorem. Actus certus, & actus incertus poſitivè, concedo. Actus certus, & actus incertus negativè, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Actus dicitur incertus poſitivè, qui veram in mente dubitationem parit; incertus autem negativè, qui dubitationem quidem non parit, ſed eam non amovet. Reverâ, &c.

2°. Cum quibuſdam aliis, ſic diſtinguo majorem. Actus certus & actus incertus, ſociari ſimul non poſſunt, eo ſenſu, quòd eodem nitantur motivo, concedo. Si diverſis nitantur motivis, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens. Reverâ, &c.

3°. Nego minorem, quantùm ad ſecundam partem. Si enim actus opinionis eſſet incertus; quo plura eſſent motiva probabilia ejuſdem judicii, eo magis incertum eſſet ejuſmodi judicium: quod eſt abſurdum.

Inſtabis 1°. contrà ſecundam reſponſionem. Mens non poteſt dubitare ſimul, & non dubitare de eodem, ſub eodem reſpectu: atqui ſi actus certus & actus incertus, ſtare ſimul poſſint, etiam per di-

Digitized by Google

verſa motiva; mens dubitaret ſimul, & non dubitaret de eodem, & ſub eodem reſpectu; ergo, &c.

Nego minorem. Ubi namque actus opinionis, conjunctus eſt cum actu ſcientiæ, omnis dubitatio removetur, non quidem per actum opinionis, ſed per actum ſcientiæ.

Inſtabis. 2°. Actus opinionis includit in idæâ ſuâ dubitationem; ergo licet ſit junctus cum actu ſcientiæ, nihilominùs mens dubitabit.

Nego antecedens. Si enim actus opinionis, vel includeret, vel pareret dubitationem; quo plura adeſſent motiva probabilia, eo magis mens dubitaret: quod eſt abſurdum.

Inſtabis, 3°. Saltem, præſente motivo ſcientiæ, inutilis eſt actus opinionis. Ubi namque mens eſt ita certa, ut non poſſit fieri certior, tunc inutilis eſt actus probabilis: atqui, præſente ſcientiâ, mens eſt ita certa, ut fieri non poſſit certior; ergo, &c.

1°. Hoc argumentum nihil contrà nos evincit; nec enim contendimus, præſente ſcientiâ, utilem eſſe actum opinionis; ſed ipſum eſſe ſociabilem cum actu ſcientiæ.

2°. Nego ſequelam. Ad probationem

autem diſtinguo majorem. Ubi mens eſt ita certa, ut fieri non poſſit certior extenſivè, concedo. Intenſivè, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, præſente ſcientiâ, mens non poteſt fieri certior intenſivè; quia actus ſcientiæ eſt ſummè certus: ſed fieri poteſt certior extenſivè, hoc eſt, mens alia poteſt habere certitudinis motiva.

Dices contrà tertiam reſponſionem. Si actus opinionis eſſet certus, non differret ab actu ſcientiæ, ratione certitudinis: falſum conſequens; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si actus opinionis eſſet certus, certitudine metaphyſicâ, non differret, &c. concedo. Si actus opinionis eſſet certus, certitudine tantummodò morali, non differret à ſcientiâ, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens. Solutio intelligitur ex dictis, de variis motivorum certitudinibus.

Inſtabis. Non magis actus ſcientiæ & actus opinionis, ſtare ſimul poſſunt, quàm actus ſcientiæ & actus erroris: atqui hoc poſterius eſt impoſſibile, ut fuit probatum; ergo, &c.

Nego majorem. Diſparitas eſt, quia actus erroris eſt eſſentialiter falſus; non autem actus opinionis. Præterea, actus ſcientiæ & actus erroris, nec idem affir-

mant, nec idem negant: at actus opinionis hîc ſupponitur idem affirmans, aut negans, ac actus ſcientiæ.

De ſcientiâ relativè ad fidem Divinam.

Quæritur hîc, an actus ſcientiæ & actus fidei Divinæ, ſociari poſſint in eodem intellectu, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum. Ut ſolvatur hæc quæſtio,

Notandum eſt, fidem Divinam duobus modis accipi poſſe, latè ſcilicet, & ſtrictè. Fides Divina, latè ſumpta, eſt aſſenſus datus alicui veritati, ex eo præcisè, quòd fuerit à Deo revelata, ſive hæc veritas alio modo poſſit innoteſcere, ſive non. Fides Divina, ſtrictè ſumpta, eſt aſſenſus datus alicui veritati, ſic à Deo revelatæ, ut per aliam viam nullatenùs innoteſcere poſſit. Hoc notato,

Certum eſt, actum ſcientiæ & actum fidei, ſtrictè ſumptæ, ſtare ſimul non poſſe, circà idem objectum. Hoc enim objectum ſupponitur impoſſibile cognitu, per aliam viam, quàm per revelationem Dei; ſupereſt igitur difficulas, circà actum fidei, latè ſumptæ.

Concluſio.

Actus ſcientiæ & actus fidei Divinæ,

Digitized by Google

latè ſumptæ, ſtare ſimul poſſunt, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum. Scientia namque per ordinem ad fidem Divinam, eſt aſſenſus datus veritati, à Deo revelatæ, ex motivo evidenti; fides autem Divina, eſt aſſenſus datus alicui veritati, ex motivo quidem certiſſimo, at inevidenti: atqui hi duo aſſenſus ſtare ſimul poſſunt. Nam, verbi gratiâ, poteſt quis aſſenſum præbere huic propoſitioni, *Deus eſt immutabilis:* & quia deprehendit immutabilitatem incluſam in idæâ Dei, en motivum evidens; & quia hæc veritas fuit à Deo revelata, his verbis, *ego Deus, & non mutor*, en motivum certiſſimum, ſed inevidens; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Evidentia & inevidentia, ſtare ſimul non poſſunt, circà idem objectum, ſub eodem reſpectu conſideratum: atqui ſcientia importat evidentiam; fides autem divina connotat inevidentiam; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Evidentia & inevidentia ſtare ſimul non poſſunt, habitâ ratione ejuſdem motivi; hoc eſt, idem motivum non poteſt eſſe evidens ſimul & inevidens, concedo. Habitâ ratione di-

verſorum motivorum; id eſt, nemo poteſt aſſentiri eidem veritati, & ex motivo evidenti, & ex alio motivo inevidenti, nego. Conceſsâ minore, diſtingue pariter conſequens. Reverâ, &c.

Inſtabis. Se habet ſcientia, reſpectu fidei Divinæ, ſicut intuitiva Dei viſio: atqui intuitiva Dei viſio, ſtare non poteſt cum fide Divinâ, etiam habitâ ratione diverſorum motivorum; ergo, &c.

Reſpondeo 1°. vitioſam eſſe hanc argumentationem; quatenùs procedit à minùs noto, ad magis notum: intuitiva quippè Dei viſio, qualis eſt in Beatis, non poteſt à nobis cognoſci in hâc vitâ; per ſolum enim ſenſum intimum innoteſcit.

Reſpondeo 2°. negando paritatem. *Diſparitas eſt*, quia fides Divina eſt *medium* nobis conceſſum, ad obtinendam intuitivam Dei viſionem; undè obtento fine, mirum non eſt, ſi ceſſent media: at verò, fides Divina & ſcientia, poſſunt eſſe duo media, ad intuitivam Dei viſionem obtinendam idonea.

Objicies. 2°. Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum, ut loquuntur quidam Patres; ergo ſignum eſt, ſcientiam & fidem divinam, ſtare ſimul non poſſe.

Digitized by Google

1°. Nego conſequentiam. Quamvis enim nullum eſſet fidei meritum, dum adjunctam habet ſcientiam; exindè non ſequitur, fidem Divinam & ſcientiam, eſſe inſociabiles.

2°. Diſtinguo antecedens. Fides non habet meritum, quod ſe teneat, ex parte motivi evidentis, concedo. Quod ſe teneat, ex parte motivi fidei Divinæ, nego. Reverâ, dum aſſenſum præbemus alicui veritati, ex motivo evidenti, nullum quidem eſt meritum, quia tunc neceſſitamur ad aſſentiendum; ſed dum aſſenſum præbemus ex motivo inevidenti; quia poſſumus aſſenſum præbere, vel non præbere ex hoc motivo: ideò poſſumus mereri, aſſentiendo ex hoc motivo: & tunc captivandus eſt intellectus, ut aſſenſum præbeat ex hoc motivo: & certè ſi meritum fidei Divinæ, vel tolleretur, vel imminueretur, ex eo quòd ejus objectum per aliud motivum cognoſceretur, ſcientia noxia foret Chriſtianis; & veritas veritati opponeretur: quæ ſunt abſurda; proindèque, &c.

At, inquies, nemo poteſt eidem veritati neceſſariò ſimul & liberè aſſentiri.

Diſtinguo propoſitionem. Ex eodem motivo, concedo. Ex diverſis motivis, nego. Solutio intelligitur ex dictis.

Digitized by Google

Objicies denique. Tam actus ſcientiæ, & actus fidei Divinæ ſunt incompatibiles, quàm lux & tenebræ : atqui lux & tenebræ ſunt incompatibiles ; ergo, &c.

Nego majorem. Diſparitas eſt, quia lux & tenebræ ſe habent, ut ens, & non ens ; tenebræ namque ſunt abſentia luminis : at ſcientia & fides Divina, ſunt duo entia poſitiva ; nec enim fides Divina dici poteſt, abſentia ſcientiæ, ſeu ignorantia.

Inſtabis. Evidentia & inevidentia, ſe habent ut lux & tenebræ ; ergo ſcientia & fides Divina, ſe habent ut lux & tenebræ.

Nego conſequentiam. Nam ſcientia habet quidem evidentiam ſibi adjunctam ; ſed non eſt ipſa evidentia. Pariter, fides Divina conjungitur quidem cum inevidentiâ, ſed non eſt ipſa inevidentia, ſeu carentia evidentiæ.

De ſcientiæ proprietatibus.

Inter ſcientiæ proprietates, numerantur unitas, ſubordinatio, veritas, certitudo & evidentia. De veritate, certitudine & evidentiâ, jam paſſim dictum fuit, & alibi dicetur ; quamobrem nonnulla hîc ſuperſunt examinanda, circà ſub-

Digitized by Google

ordinationem & unitatem ſcientiarum.

Quod attinet ad unitatem, certum eſt 1°. ſcientiam quamlibet, ſpectatam per ordinem ad objecta increata, ſeu neceſſariò exiſtentia, unam eſſe unitate numericâ: quia quodlibet objectum neceſſariò exiſtens, eſſentialiter eſt immultiplicabile.

Certum eſt 2°. ſcientiam ſpectatam per ordinem, ad objectum creatum commune, unam eſſe unitate ſimilitudinis: quia quodlibet objectum creatum univerſale, eſſentialiter eſt multiplicabile.

Certum eſt 3°. ſcientiam ſpectatam, ratione actuum intellectualium, unam eſſe unitate ſimilitudinis: quia omnes actus intellectûs in multis attributis ſunt ſimiles.

Quæſtio autem eſt, utrùm habitus ſcientiæ ſit unicus; an verò complexio multorum habituum particularium?

Dico autem 1°: ſcientiam, quæ verſatur circa objecta ſimilia, eſſe complexionem, ſeu congeriem multorum habituum ſimilium. Cùm enim actus, hoc in caſu, ſint ſimiles, cùmque occaſione cujuſque actûs producatur habitus partialis; neceſſe eſt, ut habitus totalis tunc ſit complexio multorum habituum ſimilium.

Dico 2°. ſcientiam totalem, eſſe con-

geriem multorum habituum diverſorum. Ubi namque diverſæ ſunt actiones, diverſæque difficultates ſuperandæ; ibi debet eſſe complexio multorum habituum diverſorum: atqui in ſcientiâ totali, verbi gratiâ, in Logicâ, multæ ſunt actiones diverſæ, multæque occurrunt difficultates ſuperandæ, ſicut unuſquiſque per ſenſum intimum, conſcius eſſe poteſt; proindèque, &c.

Quod attinet ad ſcientiarum ſubordinationem, duo hîc inquiruntur. Primum, quid ſit hæc ſubordinatio? Secundum, quænam conditiones requirantur, ut una ſcientia dicatur alteri ſubordinata?

Ad primam quæſtionem reſpondeo, ſubordinationem ſcientiæ, eſſe ipſius dependentiam ab aliâ. Hæc autem dependentia, in eo præſertim poſita eſt, quòd principia cognitionis mutuetur ab aliâ ſcientiâ. Ubi notabis eam ſcientiam, quæ pendet, vocari *ſubalternatam*; eam autem, à quâ pendet, vocari *ſubalternantem*.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondeo, duas potiſſimùm requiri conditiones, ut una ſcientia pendeat ab aliâ. Prima eſt, ut objectum ſubalternatæ contrahat, & determinet objectum alternantis; hoc eſt, ut ſit unum ex ejus inferioribus. Secunda, ut ſubalternata, principia ſua cognitionis

reipsâ mutuetur à ſubalternante ; hinc ars Medica, verbi gratiâ, ſubordinatur Phyſicæ, quia objectum artis Medicæ, ſcilicet corpus humanum, eſt unum ex inferioribus objecti Phyſicæ, ſeu unum ex corporibus univerſim ; & quia ars Medica principia ſua mutuatur à Phyſicâ.

QUARTA PARS LOGICÆ.

De Methodo.

METHODUS, eſt actus intellectûs ; quo multæ apprehenſiones, multa udicia, multique diſcurſus, ſecundùm ertas regulas, ita diſponuntur, ut aut eritates detectæ, cæteris hominibus manifeſtari poſſint ; aut ut veritates quædam gnotæ detegantur : hinc duplex eſt methodus, ſynthetica, & analytica.

Methodus ſynthetica, quæ vocatur aliter, modò compoſitionis, modò doctrinæ, efiniri poteſt ea, per quam veritates quæam detectæ, congruo debitoque ordine

ſic diſponuntur, ut aliis hominibus poſſint manifeſtari. Hujus methodi leges ſequentes, tanquàm præcipuas, ſeligo.

Prima. Subjecta quævis materies, ordine naturali, quoad fieri poteſt, pertractetur; hoc eſt, à notioribus fiat proceſſus, ad minùs nota; à ſimplicioribus, ad magis compoſita; & à generalioribus, ad minùs generalia.

Secunda. Unumquodque totum in partes ſuas diverſas; & difficultas quævis, in omnes ſuos caſus, quantùm id fieri poteſt, diſtribuantur.

Tertia. Nullus terminus, aut obſcurus, aut æquivocus, adhibeatur, niſi priùs definitus fuerit, definitione nominis.

Quarta. Propoſitiones obſcuræ, ſeu minùs notæ, non aliter probentur, quàm vel per accuratas entium definitiones, vel per axiomata; ſeu per propoſitiones per ſe evidentes, vel denique, per alias propoſitiones, anteà ritè probatas.

Quinta. Nulla propoſitio habeatur ut axioma, niſi veritas ejus innoteſcat cuilibet, vel mediocriter attendenti.

Sexta. In ſcientiâ quâvis, nulla habeatur ratio eorum omnium, quæ nullatenùs conferunt ad intelligentiam ejus objecti.

Methodus analytica, quæ dicitur aliter,

modò inventionis, modò reſolutionis, definiri poteſt, modus veritatis alicujus, de novo detegendæ.

Circà hanc methodi ſpeciem, nota 1°. ipſam adhiberi non poſſe, ut ſcientia quædam totalis de novo detegatur; ſed ſolummodò ut veritatem partialem alicujus ſcientiæ detegamus: verbi gratiâ, ut in Phyſicâ, cauſa gravitatis corporum inveniatur.

Nota 2°. quæſtionem quamlibet, verſari, vel circà voces, vel circà entia, per voces ſignificata. Quæſtiones circà voces, eas appello, per quas, vel alicujus ænigmatis ſolutionem aſſequi, vel ſcriptoris mentem obtinere contendimus. Quæſtiones circà entia, ſunt illæ, per quas, vel alicujus entis naturam, per effectus, proprietates, aut affectiones inquirimus; vel cognitâ quâdam causâ, impropriè dictâ, nonnullos ejus effectus, aut affectiones quaſdam, inveſtigare conamur; vel ex notitiâ quarumdam partium, & totius, aſſurgimus ad notitiam cæterarum partium; vel ex notitiâ partium omnium, devenimus ad notitiam totius; vel denique, cognitâ relatione inter duo entia, pervenimus ad notitiam ſimilis relationis, inter alia duo entia.

His notatis, circà hanc methodum

ſequentes leges, ut præcipuas, ſeligo.

Prima. Si quæſtio ſit de voce quâdam ænigmatica; perpendendum eſt, an in ſenſu proprio, an in metaphorico, an materialiter, an formaliter ſit accipienda? deinde quiſnam fuerit Authoris ſcopus, & tandem ad omnes circumſtantias diligenter eſt circumſpiciendum?

Secundà. Si agatur de ſenſu & doctrinâ cujuſdam Authoris; examinandum eſt 1°. num aliis in locis, mentem ſuam clariùs aperuerit? 2°. Cavendum, ne ex uno, aut altero textu, de ſcriptoris doctrinâ judices; ſed de eâ judicandum erit, ex totius operis œconomiâ. 3°. Verſionibus, ut aiunt, ſeu tranſlationibus, ex uno idiomate in aliud, non ſic erit adhibenda fides; quin exemplar authenticum, ſeu propriâ ſcriptoris linguâ conſcriptum conſulatur. 4°. Denique, ſi in opere quodam occurrant variæ lectiones, ei præſertim erit adhærendum, quæ ſcriptoris ſcopo magis eſt accommodata, quæque benigniorem exhibet ſenſum.

Tertia. Si de entibus ipſis inſtituatur quæſtio; ita ut eorum natura, & proprietates, vel per affectiones, vel per effectus, inquirantur. 1°. Perpendendum erit, quales ſint ejuſmodi affectiones & effectus; id eſt, affectiones illas & effectus illos,

ſub diverſis quaſi faciebus inſpicere debes. 2°. Videndum erit, num ab unicâ, num à multis ſimul cauſis, ſive ſimilibus, ſive diverſis, prodire potuerint? 3°. Examinandum erit, utrùm ex circumſtantiis cognitis, ritè colligi poſſit, effectus illos, ab hâc potiùs, quàm ab aliâ causâ pendere? Si natura cujuſdam entis fuerit nota, & ejus partes, ſive eſſentiales, ſive contingentes inquirantur; perpendendum erit, quænam ſint hujus entis relationes, ſive eſſentiales, ſive contingentes, & quænam ſint relationum contingentium fundamenta; deinde quænam attributa naſcantur ex illis relationibus; & tandem quænam ex his attributis, ſint vel communia, vel propria; quænam ſint vel ſociabilia, vel inſociabilia; quænam ſint inſeparabilia, vel ſeparabilia?

Quarta. Si cognito toto, quærantur quædam ejus partes, aut cognitis partibus inquiratur totum, ſicut contingit in quantitatum calculo; examinandum erit, 1°. utrùm agatur de partibus eſſentialibus, an de contingentibus, an de integrantibus, an de potentialibus, an de actualibus, an de ſimilibus, an de diverſis, an de aliquotis, ſeu æqualibus, an de aliquantis, ſeu de inæqualibus? 2°. Videndum, quænam ſint partium illarum rela-

tiones, tùm inter ſe, tùm per ordinem ad totum ?

Utrique ſupradictæ methodo, quædam ſunt leges communes : verbi gratiâ, quòd utraque ſupponat aliquid jam cognitum ; quòd in utrâque, clarè & nitidè proponendæ ſint quæſtiones, certa ab incertis diligenter ſecernendo ; quodque in utrâque procedendum ſit à facilioribus, ad difficiliora ; & à ſimplicibus, ad magis compoſita.

Carteſius, in ſuâ diſſertatione de methodo, quatuor propoſuit regulas, utrique methodo communes, quæ cùm ſint valdè utiles, ſunt hîc afferendæ.

Prima. Nihil, tanquam verum admittatur, niſi certò & evidenter cognoſcatur ut verum ; hoc eſt, inquit, intrà *judicandum*, diligenter vitandæ ſunt præcipitantia & anticipatio, ſeu præjudicium ; nihilque concludendum, niſi quod tam clarè & diſtinctè pateat rationi, ut in dubium nullatenùs revocari poſſit.

Secunda. Quælibet difficultas, in tot partes diſtribuatur, quot ſufficiunt, ad eam commodiùs ſolvendam.

Tertia. Cognitiones omnes, quæ impenduntur in detegendâ veritate, certo ſemper ordine promovendæ ſunt ; incipiendo ſcilicet à rebus ſimpliciſſimis, &

cognitu facillimis, ut paulatim, & quaſi per gradus, ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem fiat proceſſus. In aliquem etiam ordinem ea ſunt in mente diſponenda, quæ ex naturâ ſuâ, ſeſe mutuò non præcedunt.

Quarta. Sive in quærendis mediis, ſive in difficultatum partibus percurrendis, ita fieri debet accurata partium enumeratio, & ad omnia ſic circumſpiciendum, ut adſit certitudo, nihil fuiſſe prætermiſſum.

Qui plura ſcire voluerit, circà utramque methodum, legat duos Libros gallicè ſcriptos, quorum prior inſcribitur, *la Logique*, ou *l'Art de penſer*; poſterior verò, *Syſtême de réflexion*, ou *Eſſai de Logique*, Authore CROUZAS.

CONCERTATIO

circà Methodum.

UNICA quæſtio proponitur à Philoſophis, circà methodum, utrùm nempè ſit genere diverſa ab apprehenſione, judicio & diſcurſu; hoc eſt, an quemadmodùm tres hi actus ſunt genera-

operationum, à ſe invicem diverſa; ſic methodus quartum ſit genus, à tribus prioribus diverſum?

Concluſio.

Methodus, non eſt quarta mentis operatio, à tribus aliis genere diverſa. Si enim ad ritè diſponendum & ordinandum, ſufficiant apprehenſiones, judicia & diſcurſus; methodus non eſt quarta mentis operatio, à tribus prioribus genere diverſa: atqui res ſic ſe habet. Ut enim quis ritè diſponat & ordinet, ſufficit, ſi ſingula objecta diſponenda apprehendat, ſi judicet, & per diſcurſum, ſi opus eſt, detegat, quorumnam objectorum notitia cæterorum cognitioni præire debeat; hoc enim poſito, methodus intelligitur legitima: atqui per tres ſupradictas operationes, id præſtare poteſt, ut per ſe patet; ergo, &c.

Et certè, ſi quis malè diſponat & ordinet, arguitur meritò, quòd nec ritè judicaverit, nec ritè fuerit ratiocinatus, circà partium diſpoſitionem; ergo ſignum eſt, methodum non eſſe operationem, à tribus aliis genere diverſam.

Colliges, methodum nihil aliud eſſe, præter congeriem apprehenſionum, judi-

ciorum & diſcurſuum; ita ut partes alicujus ſcientiæ, ordine quodam artificioſo diſponendæ, operationum illarum ſint objectum.

Objectiones.

Objicies. 1°. Methodus, eſt actus intellectûs, à cæteris genere diverſus; modò quis ritè judicare & diſcurrere valeat, licet ineptè diſponat & ordinet: atqui poteſt quis, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem... Modò quis ritè judicare & diſcurrere valeat, de ſcientiarum partibus ordinandis, licet &c. concedo. De aliis entibus, nego. Diſtingue pariter minorem, & nega conſequentiam. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Ideò ſecunda mentis operatio genere differt à primâ, quia nectit prædicatum cum ſubjecto; & ideò tertia differt à ſecundâ, quia nectit conſequens, vel cum antecedente, vel cum præmiſſis: atqui quarta mentis operatio nectit judicia & diſcurſus; ergo quo jure ſecunda & tertia operationes differunt à ſe invicem, eodem jure methodus ab aliis genere diſcrepat.

1°. Nego majorem: quia ſecunda & tertia mentis operatio nihil in rei veritate nectunt; ſed per eas detegitur, quænam

objecta ſint, vel inter ſe connexa, vel à ſe invicem ſeparata.

2°. Dato quòd judicium & diſcurſus nectant, diſtinguo minorem. Methodus multa judicia, multoſque diſcurſus nectit, ita ut hic nexus genere non differat, à nexibus judiciorum & diſcurſuum, concedo: ita ut ab iis genere diſcrepet, *nego*. Diſtingue pariter conſequens. Reverâ, &c.

Objicies denique. Illa mentis operatio genere differt ab aliis, quæ habet præcepta ſibi propria: atqui methodus habet, &c. ergo, &c.

Nego majorem. Si enim mentis operatio diverſa foret ab aliis genere, ex eo quòd haberet præcepta ſibi propria, definitio & diviſio; ſillogiſmi diverſarum figurarum, &c. totidem eſſent mentis operationes, à ſe invicem genere diſcrepantes, ſi quidem habent præcepta ſibi propria: at conſequens ab Adverſariis non admittitur; proindèque, &c.

Finis Logicæ.

Digitized by Google

INDEX

Titulorum Tomi primi.

DE Philoſophandi Methodo, Pag. 2
De Arte ratiocinandi, 15
De diſcurſu, 17
De ſillogiſmo ſimplici, 18
De ſillogiſmo compoſito, 23
Concertationes circa Philoſophiam univerſim.
Quid ſit? 25
An ſit Philoſophia? 37
Cur ſit Philoſophia? 49
Qualis ſit Philoſophia? 57
Quotuplex ſit Philoſophia? 60
Concertationes circa Logicam, 64
Quid ſit Logica? 65
An ſit Logica? 90
Qualis ſit Logica, 92
Quotuplex ſit Logica? 100
De apprehenſione, 103
De entibus intrà nos poſitis, 104
De entibus extrà nos poſitis, 111
De diſtinctione, 113
De ſimilitudine & diverſitate, 114
De univerſalitate, 115
De Genere, 117

Digitized by Google

De Differentiâ, 119
De ſpecie, 121
De proprio, 122
De accidente, 124
Appendix de individuo, 125
De ſeparabilitate & diviſione, 126
De veritate, prioritate, poſt. &c. 132
De partibus entium abſolutis, 133
De variis ſignis, 135
Regulæ circà entia intra nos poſita, 141
Regulæ circà entia extrà nos poſita, 145
Regulæ circà ſigna, 147
Concertationes circà Apprehenſionem, 150
De ſigno diverſitatis & ſimilitudinis entium, 164
De univerſali materialiter ſumpto, 173
De univerſali formaliter ſumpto, 176
De univerſalibus ſpeciatim, 190
De Cathegoriis, 220
De judicio, 253
De propoſitione ſimplici, 253
De converſionibus, 259
De propoſitionum oppoſitionibus, 262
Regulæ circà propoſitiones ſimplices, 266
De propoſitionibus complexis, 270
Leges circà propoſitiones complexas, 274
De definitionibus, 277
De propoſitionibus compoſitis, 280
De propoſitionibus modalibus, 294
Concertationes circà Judicium, 297

INDEX.

De materiâ propoſitionis, 300
De formâ propoſitionis, 303
De quantitate propoſitionis, 309
De qualitate propoſitionis, 314
De converſionibus propoſitionum, 323
De oppoſitione propoſitionum, 328
De diſcurſu, 331
De ſillogiſmo, 335
De figurâ ſillogiſmi, 336
De modis ſillogiſmi, 338
De principiis & regulis ſillogiſmorum, 342
De ſillogiſmorum reductionibus, 354
De reductione enthymematis, 362
De ſillogiſmorum ſpeciebus, 364
Examen eorum quæ dicta ſunt circà ſillogiſmos, 366
Annotationes circà ſillogiſmos compoſitos, 368
De variis errorum fontibus, circà diſcurſum, 372
Concertationes circà diſcurſum, 378
Circà neceſſitatem aſſentiendi concluſionibus, 379
Circà ſillogiſmorum figuras, 384
Circà principiorum & regularum veritatem, 387
Circà ſillogiſmorum reductiones, 401
Quomodo comparetur ſcientia, 403
De ſcientiâ relativè ad errorem, 407
De ſcientiâ relativè ad opinionem, 409
De ſcientiâ relativè ad fidem Divinam, 414

Digitized by Google

De ſcientiæ proprietatibus, 415
De Methodo, 421
Concertatio circà Methodum; 427

Finis.

Digitized by Google

Tomo I. errata Logicæ.

PAge 17. *lin.* 2. Deus Juſtus , *lege* , Deus eſt Juſtus.
P. 24. *lin. ult.* mpoſitis , *lege* , compoſitis.
P. 40. *lin.* 9. *ſic lege* , Si. *Idem lin.* 13.
P. 72. *lin.* 13. eſſentiam. , *lege* , exiſtentiam.
P. 134. *lin. ultim.* nobili , *lege* , mobili.
P. 160. *lin.* 23. *dele* , aut.
P. 161. *lin.* 1. poſſint , *lege* , poſſent.
P. 275. *lin.* 14. familioribus , *lege* , familiaribus.
P. 284. *lin.* 17. intellectus , *lege* , intellectu.
P. 325. *lin.* 25. contrarias , *lege* , contrariæ ; *&* *lin.* 26. ſubcontrarias , *lege* , ſubcontrariæ.
P. 337. *lin.* 2. *dele* , eſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA.

TOME I.

Pag.	*Lin.*	
16	16	delectas, *lege*, detectas.
17	20	Deus juſtus, *lege*, Deus eſt juſtus.
24	*ult*	mpoſitis, *l.* compoſitis.
40	9	ſic, *l.* ſi. *Lin.* 13. ſic, *l.* ſi. *Lin.* 19. 2°. *l.* 1°.
41	14	poſſumur, *lege*, poſſimus.
44	14	adeò, *l.* à Deo.
60	6	poſſunt, *l.* poſſint.
72	13	eſſentiam, *l.* exiſtentiam.
78	20	materiali, *l.* materiale.
99	24	poſſint, *lege*, poſſent.
100	24	habeant, *lege*, habeat.
106	24	*dele vocem hanc*, agendi.
133	*penult.*	intentio, *l.* intenſio.
134	*ult*	nobili, *l.* mobili.
141	22	*poſt: adde*, ut.
154	2	hoc eſt, *l.* hoc non eſt.
160	23	*dele*, aut.
161	1	poſſint, *l.* poſſent.
275	14	familioribus, *lege*, familiaribus.
284	17	intellectus, *l.* intellectu.
286	10	eſſe; *lege*, eſt.
329	25	contrarias, *l.* contrariæ. *l.* 26. ſubcontrarias, *lege*, ſubcontrariæ
337	2	majus eſt, *dele*, eſt.
360	14	O, *lege*, I.

Finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

igitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google